5


LIBELLI FAMOSI QVO VIX POST HOMINVM MEMORIAM IMPVDENTIOR & flagitiosior prodiit aduersus Illustrissimum Cardinalem ROBERTVM BELLARMINVM, castigatio.

Auctore

JACOBO GRETSERO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

ILLVSTRISSIMVS CARDINALIS Bellarminus Calumniatoribus suis:

Induantur confusione & reuerentia; qui maligna loquuntur super me, Psal. 34.



Permissu Superiorum.

INGOLSTADII,
Ex Typographeo Ederiano, apud Elisabetham Angermariam, Viduam.
M. DC. XV.

CANDIDO LECTORI SALVTEM.

REm facilem aggredior, amice Lector. Probandum est non modò falsum esse, sed & ab omni verisimilitudine abhorrere, figmentum illud, quod nuper de Illustrissimo, & in tota Ecclesia Dei decantatissimo Cardinali Bellarmino Anonymus calumniator sparsit, nempe *Bellarminum diebus vitæ suæ mille sexcentas & quadraginta duas mulieres cōstuprasse, earūq; plerasq; vnà cum filiis & filiabus gladio, veneno, igne & aqua sustulisse*; hoc, inquam, falsissimum & ab omni probabilitatis specie remotissimum commentum esse, demonstrandum est; quod nullius laboris eget; adeo enim falsitas flagitio-

ſiſſimi huius mendacij in propatulo eſt, vt quidquid pro ea patefacienda attulero, obſcurius propemodum futurum ſit, quàm ipſa falſitas, quæ primo ſtatim aſpectu in omnium eorum oculos, qui eos malitioſè non claudunt, incurrit.


Quocirca ne verbulum quidem architecto tam immanis probri reponere ſtatueram: Nec conſilium mutaſſem, niſi ijs, qui mihi iure ſuo imperare poſſunt, aliter viſum fuiſſet: propter illos, qui idolorum inſtar, oculos habent, & non vident; & propter alios, qui, inſtar Sauli cœlitus proſtrati, apertis oculis nihil vident; vt taceam nō deeſſe, qui licet falſitatem perſpicuè intueantur, eam tamen in animis hominum regnare malunt, quàm veritatem; & hoc odio Ieſuitarum; quibus ſaluis ſe ſaluos fore diffidunt. In iſtorum igitur gratiam aliquid reſpondendum fuit, tentandumque, num meliores oculos acquirere, & ad ſaniorem mentem traduci poſſint.

Vetus & vulgare verbum eſt; *Calumniare*

are audacter; semper aliquid adhaeret: quod calumniator iste noster sibi religiosissimè obseruandum proposuit; non enim *audacter* tantùm, sed & *audacissimè* calumnias texuit; cogitans, opinor, semper aliquos, præsertim ex imperita vulgi plebecula, repertum iri, in quorũ præcordiis calumnia iacta insideat; & quamuis illi, quibus est emunctius iudicium, calumniosam imposturam animaduersuri sint, his ipsis tamen non vsq; adeo displicituram, quod Bellarminum & per Bellarmini latus, omnes Iesuitas petat, & quidem nõ sine grauissimis Inuectiuis, imò & cum classico atq; celeusmate, vt omnes, si non contis, hastis, gladiis, bombardis, certè stipitibus duris subdibusque præustis armati ad opprimendos Iesuitas quantocyus aduolitent.

Dicebat olim Seuerianus Gabalorum Episcopus orat. 2. in mundi creationem. ἀεὶ τὸ ψεῦδος, ὅταν θέλῃ πιστευθῆναι, ἐὰν μὴ πήξῃ θεμέλιον δοκούσης ἀληθείας, οὐ πιστεύεται. *Mendacium, quando sibi conciliare vult fidem, nisi semper apparentis veritatis fundamentum iaciat, non creditur.*

ditur. Vtinam hoc perpetuum eſſet; In eam enim ætatem deuenimus, qua mendacio nec picto, nec tecto, nec vafrè & vulpinè occultato; ſed aperto, manifeſto, ipſiſque radijs ſolaribus expoſito, à multis cupidè creditur, cuiuſmodi eſt iſtud, ad cuius refutationē iam accingimur. Dico igitur comentū hoc: *Bellarminus M.DC.XLII. fœminas vitiauit, & tam liberos, quàm matres, magnam partem, gladio, veneno, igne & aquâ peremit*; ab omni veritate & probabilitate alieniſſimum, nullam penitus fidem, ſed communem omniū deteſtationem mereri; idq; ſequentibus argumentis oſtendo.



CAPVT

CAPVT I.

Argumentum primum à Libello famoso.



AVctor libri famosi nō meretur fidem, sed pœnam, & Iure quidem ciuili, capitalem; Iure Canonico excommunicationem & flagellationem; sed architectus huius figmenti, est Auctor libri *famosi*, vel, vt rectius loquar, *famosissimi*; si enim vnquam à condito mundo libellus famosus prodiit, hic profectò ille est. Nō ergo meretur fidem, sed pœnam. Minor clara fiet ex duabus conditionibus libelli famosi; quarum prima & potissima est, vt alienam famam, bonamq; existimationem laceret; hic, & nullus alius, huius libelli scopus est, nam à primo apice vsq; ad vltimum immanissimè in Illustrissimi Bellarmini nomen, & sub hoc nomine & schemate, in omnes Iesuitas grassatur: Altera conditio est, vt careat nomine Auctoris, Editoris, Typographi, loci, (tametsi hæc conditio non est perpetua; quia fieri potest, vt sit liber famosus, licet Auctor, Editor & Typographus sua & loci nomina profiteantur, vt in Controuersia Cambilhonica cum Prædicantibus Augustanis copiosius docui;) At in nostro proposito nomina ista desunt. Nuspiam enim apparet nomē Auctoris; nuspiam Editoris, si certè ab Auctore sit diuersus.

L. si quis C. De fam. libell. Vide C. 5. Q. 1.

Dices: apparet nomen Typographi, & vrbis; nam in ipso vestibulo hęc leguntur. *Basileæ apud Ludouicum König Anno 1614.* At Typographus iste datis li-

teris

teris ad quendam magnæ dignitatis virum (de quibus literis infra) ait, sibi & Inclytæ Basileæ atrocissimam iniuriam ab isto Tenebrione fieri; se enim non *Typographum*, sed *Bibliopolam* agere; nec tam emota mente esse, vt huiusmodi infamatrices chartas suis sumptibus, suo cum dedecore & periculo in vulgus extrudendas curet.

Ecce tibi igitur aliud huius calumniatoris infandum crimen; quod est, alienis nominibus ad sua nefaria, & si legibus ageretur, extremo supplicio afficienda scelera abuti.

Post editionē, quæ Basileæ ex Ludouici Königs officina prodiisse fingebatur, mox prodiit altera (At vnde? coniecta quisquis es coniector) vbi sub finem frontispicij leges: Erstlich getruckt zu Basel / durch Ludwig König. *Primò excusus* (libellus) *Basileæ per Ludouicum König*. Cæterum Ludouicus König palam affirmat, hoc impudentissimum mendacium esse, eumq;, qui facinus istud patrare ausus fuit, nominat ein Ehrnschender vnd Ehrendieb / *prædonem honoris & bonæ existimationis*. Sed quidquid sit de hoc; vnde tu venis, ô mea altera editio? vnde prorepis, vel potius prorepsisti? ex qua spelunca? ex cuius Caci antro? *Non libenter prophetizo, sum infelix Propheta*, inquit Lutherus, in Latinis Colloquiis. Ego non libenter diuino, ne diuinatio cassa sit, sed tu ô Volci, tu ô Zæcmanne, vosq; gemini Heilbrunneri, pro veteri nostra necessitudine, me instruite, & ex ignaro gnarum facite, vel potius ex suspicante, certum. *Vos meministis enim & meminisse potestis; ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.* Non dico vos conditores vel disseminatores huius famosæ chartæ esse; absit à vobis crimen tam imma-

Tom. I. tit. de princip.

immane; ſuſpicor tamen plura vobis conſtare, quàm mihi, præſertim de iterata editione. hanc veſtram notitiam, vt mecum cõmunicetis oro; memores illius: *ſcire tuum nihil eſt, niſi & hoc ſciat alter.*

Verùm vt ad lineam reuertamur, nomẽ Typographi & loci adiectum, perinde ſe habet, ac ſi adiectum non eſſet, cum ſubſit fraus & dolus prout vidimus; & vt omnis fraus abeſſet, an ideo libellus famoſus non eſſet? Si prima editio candidè addidit nomẽ ciuitatis & Typographi, quod tamen ſecus eſt, cur ſecunda hunc candorem nõ eſt imitata? cur non dixit; primò quidem *excuſus* (libellus) *Baſileæ apud Ludouicum König*; nunc in gratiam lectoris recuſus, ſed vbi? Succurre, quæſo, Zeemanne, & vos duo Sidera Caſtor & Pollux, Heilbrunneri; & vacillanti memoriæ ſuggerite, cuius nam ſtudio hæc altera editio procurata ſit, & quidem longè venuſtius quàm prima; tranſlatâ tam ſolutâ, quàm ligatâ contra Ieſuitas Satyrâ in famoſi libelli frontem: paginisq; in duas columnas ſectis, vt mendaciorum lectio oculis eò facilior & amabilior eſſet.

Quocunq; ergo ſeſe iſti vertant, prætextu Typographi & loci additi Relationem iſtam nunquam ex numero libellorũ famoſorum eximent; quia poſterior editio nomina iſta ſuppreſſit, prima expreſſit; ſed fide ſycophãtica, ex qua totũ hoc ſcriptũ conſtat.

Obijciet ignotus Calumniator. Se non eſſe libri Auctorem, *ſed verſorem*; Initiò enim proteſtatur, ſe omnia, quæ in Gallico exẽplari repererit, fideliter in Germanicum ſermonem tranſtuliſſe; nihil adieciſſe, nihilq; detraxiſſe. At quo minus proteſtationi huic fidem habeam, facit inprimis mendaciſſimus bala-

B thronis

thronis istius genius; qui enim talia & tam manifesta mendacia ex Gallica lingua in nostram vernaculam transferre audet, is & cudere audet; nec scio, quis sit scelератior, & supplicio dignior Auctor, an *Versor*. Quanquam Gallicum exemplar nunquam vidi, & nec vidi, nec audiui, qui viderit, tametsi non ignoro à Gallicanis Sectariis nihil huius generis abludere, quibus Illustrissimus Bellarminus ob Controuersiarũ Tomos, & alia doctissima opera æquè exosus est, ac Nouatoribus Luthericolis & Caluinisequis Germanis. Fortè Tenebrio iste vtriusq; linguæ peritus prius Gallicè libellum famosum composuit, eundemque mox bona sua fide Germanicè reddidit; vt ita protestationi suæ occasionem inueniret, quod certè ab ingenio furiosioris alicuius Caluinistæ, qualis, exempli gratia, Goldastus, prorsus non abhorret.

Vtcunq; se res habet; *Versor* sit iste, non Auctor libelli, nõ ideo meliore loco erit, quàm ipse Auctor? An fidem merebitur, quan non meretur Auctor? An pœnas Auctori famosæ chartæ decretas effugiet? Nihil minus. Audi legem Imperatoriam: *Si quis famosum libellũ, siue domi, siue in publico, vel quocunq; loco ignarus repererit, aut corrumpat prius, quàm alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Si verò non statim easdem chartulas vel corruperit vel igne consumserit, sed vim earum manifestauerit, sciat se quasi Auctorem huiusmodi delicti capitali sententia subiugandum.* En quæ pœnæ maneant eum, qui libellum famosum reperit etiam ignarus, nec corrumpit; nec Vulcano absumendum tradit; sed vim, hoc est, sententiam eius propalat; nec quomodocunq;; sed translatione ex lingua peregrina in patriam; adscita in subsidium operâ Typographicâ, cuius

L. Si quis. C. de famosis libellis.

cuius industria vnus libellus famosus vno die ad duo vel tria millia multiplicari potest. Itaq; caussæ nihil est, cur se Tenebrio noster à lege infamosi libelli conditores lata, prætextu translationis, eximere tentet: non exemptus esset, licet solummodo reperisset, repertiq; sensum aliis vtcunq; indicasset. Quanto minus nunc excusari debet, cum omnes neruos suos eò intendit; vt post homines natos teterrimus libellus ad notitiam omnium eorum, qui Germanicam linguam norunt, perueniret? Est ergo, manetq; scriptũ hoc, de quo agimus, libellus famosus; siue Gallum parentem habeat, siue Germanum, siue Germanus tantum sit ex Gallico Interpres, siue primus progenitor & faber. Quare nullam fidem meretur, sed legibus constitutam pœnam.

CAPVT II.

Altera probatio ex effrænatissima mentiendi libidine, qua tenebricosus iste infamator ardet.

NIl fidei meretur ille, qui ipse sibi fidem detrahit; At calumniator iste cum suis M.DC.XLII. mulieribus ipse sibi fidem detrahit, nullam ergo fidem meretur. Probatur Minor; quia mentitur Cardinalem Bellarminum mortuum esse Anno Redemptoris M.DC.XIII. Et tunc tam enormia flagitia & facinora Cardinalis hujus in lucem emersisse. At dicto anno Bellarminum mortuum esse, negat inprimis ipse Bellarminus, qui anno Dñi M.DC.XIV. Kalendis Decembris, cum hoc fabulamentum, vel

potius tentatum dehonestamentũ ad aures eius peruenisset, ita manu propria rescripsit ad *R.P. Ferdinandum Alberum*, Societatis IESV Assistentem, hominem Germanum: *Ego per gratiam Dei non solum viuo, sed optimè valeo, & præ manibus habeo opuscula, quæ breui in lucem emittam.* die 1. Decembris M.DC.XIV. Si igitur Cardinalis Bellarminus viuebat Kalendis Decembribus Anno M.DC.XIV. imò, si, vt voueo & spero, viuit adhuc hoc ipso die, qui est XXV. Ianuarij, conuersioni D. Pauli sacer, quomodo, ô mendacissime calumniator, mortuus est Anno M.DC.XIII?

Ne verò vllus vlli calumniæ locus vel diuerticulum relinqueretur, curatum est, vt Romæ publicum & authenticum instrumentum publici Notarij, & testium idoneorum auctoritate firmatum, conficeretur. Quo fine? Vt probaretur solem meridie lucere, & media nocte nobis non lucere: niuem esse albam, non nigram, aquam madefacere, ignem vrere, plumbum esse graue; plumam, leuem; hoc est, Cardinalem Bellarminum Anno Domini M.DC.XIII. non vita functum esse, sed toto Anñ M.DC.XIV. saluum & incolumem vixisse, id quod tota Roma nouit; quod tot peregrini Romam ex omnibus Christiani orbis partibus confluentes norunt, quibus inter cætera Romæ visenda, Cardinalis Bellarminus est, ob nominis celebritatem & eruditionis magnitudinem, qua vbiq; fulget, & omnia doctorum pulpita replet.

Deus bone; quid tandem infrunita mentiendi prurigo sibi non permittet? Quid tandem publica Notariorum fide non erit probandum? Credo aliquando exoriturum qui afferat, Tiberim nõ per Romam, sed per Nolam vel Capuam, cursum tenere;

neq;

neq; ad ostia Tiberina, sed Neapoli in mare exonerari; idq; à malè credulis creditum iri, nisi alicuius iurati Pontificij & Cæsarei Tabellionis testificatio obstet. Audite fabulatores; Illustrissimus Bellarmin⁹ toto anno M.DC. XIV. vixit, eoq́; aliquoties ad me propria manu scripsit; Præsentem annum Domini M.DC.XV. feliciter auspicatus est; quem, vt ad Sectariorum ignominiam, ad Catholicæ autem Ecclesiæ honorem ac vtilitatem prosperè decurrat, Deum ex animo precamur. Qua igitur ratione mortuus est Anno M,DC.XIII? Et quidem tali morte, qualem nugacissimus iste figulus fingit? Quis vel modicè sobrius fidem iam habeat comméto de mille sexcentis quadraginta duabus mulieribus; trucidatisq; infantibus? Quod enim mendacium in chartas euomere horreat ille, quem non puduit palam mentiri, Bellarminum Anno M. DC. XIII. Laureti vitam finiisse; qui tamen, tota Roma, imò tota Italia teste, toto Anno M.DC.XIV. incolumis vixit, & etiamnum viuit; vtinam diu; cui de nostris annis Deus annos augeat, vt *induantur* qui tanto viro *detrahunt pudore, & operiantur, sicut diploide, confusione sua.*

CAPVT III.

Tertia probatio, cur fabulator iste nullam fidem mereatur, sumpta ex mendaciis, quæ ad palmarium mendacium adiecit.

PEriisti impostor. Bellarminus viuit adhuc, & toto anno M.DC.XIV. vitã Romæ egit. Captus es; constrictus teneris; non patet euadendi locus, nisi dicere velis; mortuum fuisse, sed reuixisse, idq;

cum in sepulchrum inferretur, ex attactu alterius cuiusdam corporis, eo modo, quo olim defunctus quidam vitæ restitutus est, cum Helisæi ossa tetigisset; aut, si magis lubet, dicito, Christum cœlo delapsum Bellarmino vitam reddidisse, ad eum planè modum, quo olim Lazaro; non sine acclamatione illa: *Bellarmine veni foras*; moxq; ligatum manus & pedes institis prodiisse, & viuentiũ cętui denuo sese admiscuisse. Vel dic, Bellarminum, vt olim Sosiam Plauti conduplicatum fuisse; & Romæ quidem ad hunc vsq; diem vixisse & viuere; at verò Laureti mortuum esse.

Verum beneuolentia mea, qua tibi viam elabendi monstro, vti dedignaberis, sat scio. Mortuus igitur esto Bellarminus, Anno M.DC.XIII. nec reuixerit, qui toto anno M.DC.XIV. superstes fuit, cedo vbinam terrarũ mortuus est? *Laureti*, inquit impostor; *quò peregrinationis & confeßionis faciendæ gratia, mutato habitu, concesserat.* Atqui Bellarminus propria sua manu Kalendis Decembribus hæc ipsa verba ad *R.P. Ferdinandum Alberum*, qui Romæ habitat, scripsit; *Non sum peregrinatus ad Virginem Lauretanam ab annis amplius triginta.* Bellarmin⁹ viuens videsq; Añó M.DC.XIV. testatur, à triginta & amplius annis Lauretanam peregrinationem se non suscepisse, at calumniator ait, Bellarminum Anno M.DC.XIII. Laureti, quò peregrinationem instituerit, vita functum esse. Vtri credemus? Num Bellarmino adhuc viuenti; an Sycophantæ calumnianti? Cum ergo Bellarminus adhuc superfit; nec Laureti ex viuis excesserit, ruant oportet, omnia illa mendacia, quæ attexuntur; *vt quod tribus horis, brachiis in speciem Crucis expansis coram Deiparæ imagine preces fuderit; quò sceleribus suis veniam impetraret; at imaginem auersa facie, dorsum obuertisse; eaq;*
de

de caussa mirificè territum Bellarminum, in letalem morbum incidisse; & Leonis instar desperabundum rugiisse; quin & prædixisse, se tartareo hirco ad inferos auectum iri, vt illic inter Papas, Episcopos, Monachos, Moniales & Sacerdotes Principatũ teneat. tandemq; cum abnegatione Dei & Christi, in amentia spiritum exhalasse. Quæ omnia nihil aliud sunt, quàm pura puta mendacia; indigna, quæ pluribus refellantur, & redarguantur, quia satis superque à vita Bellarmini, qua adhuc fruitur, refelluntur & redarguuntur.

Audi Tenebrio: Bellarmin⁹ toto año M.DC.XIV. vixit; & viuit adhuc hoc iã inchoato Año M.DC.XV. Quomodo ergo tua subsistunt mendacia? Viuit Bellarminus. Euanescunt igitur tuæ plusquã Diabolicæ pseudologiæ & loedoriæ. Viuit Bellarminus. Abdere igitur, ô effrons conuiciator, in tenebras; & si tibi nullæ tenebræ huius mundi satis sunt densæ; abi cum tuis mendaciis in tenebras exteriores; vt fleas & dentibus strideas; quem certè tormentorum locum non effugies, nisi in hac vita grandissimam culpam, quam scriptione & sparsione huius libelli famosi cõtraxisti, lacrymis expies ac eluas. Viuat Bellarminus; idque Hæreticus *videat & irascatur, dentibus suis fremat & tabescat.* Viuat Bellarminus. *Auertanturq; retrorsum & erubescant, qui* Bellarmino *volunt mala,* nec vulgaria mala, sed stygia; qui profligatissimè mentiuntur, Bellarminum post mortem suam clara die conspici in sublimibus aëris oris, semiflammante & alato inuectum equo: quem in vsum Bellerophon proculdubio suũ Pegasum Romam misit, credidissem esse Bucephalũ Alexandri, nisi alatum audirem; alis enim Bucephalus caruit; quas equo suo calumniator cautè adiecit; quomodo enim volaret, nisi alatus esset?

Bel-

Bellarminus viuit adhuc. Quid calumniaris? Desine, oro, sed non obsequeris; Eo enim ore, quo cœpisti, mendacia spuere pergis. *Bellarminum suo in Palatio eiulantem & vlulantem audiri; Pontifici in Palatio Castri S. Angeli & in Ponte Tiberino indesinenter infestissimũ esse; multos spectro tam terrifico ita terrefieri, vt è vestigio & in vestigio exanimentur*; nec mirum: nouum enim Salmonea vident, *qui flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi, qui nimbos & non imitabile fulmen are & cornipedum equorum cursu simulat*: & iam nunc statuit Pontifex Sedem & Curiam suam Auenionem in Gallias transferre; vt saltem vel noctu partem aliquā quietis capere queat. An non vidisti mulos varia supellectile onustos, iam in Gallias tendere, velut futuræ migrationis Pontificiæ prænuncios? Vanissime criminator. Bellarminus viuit adhuc. Audin? Hanc cantilenam tuis auribus ingerere non desistam, quamdiu à calumniis non desistes. Quàm verò peritè dicit; Pontificem à Bellarmino infestari in suo Palatio *Castri S. Angeli*, quasi palatium Pontificis in Vaticano, & *Castrum S. Angeli*, seu Moles Adriani, sint vnum & idem; Et quasi Pontifex in *Castro S. Angeli* habitet.

Verumenimuero Bellarminus in Palatio suo & Pontificis, & in Ponte Tiberino tam horrificè tumultuans, & in aëre, ipso meridiano sole lucente, terribili specie obequitans, propemodũ me ducit ad figmẽti huius cubilia. Lutheranus enim quispiam (ita dico, nam Catholicum non fuisse omnes circumstantiæ, ne dicam, syllabæ clamant) Anno Dñi M. D. XLV. in gratiam Lutheri Italicam Epistolam finxit, sub titulo & nomine Legati Gallicani ad summum Pontificem; qua Epistola narratur, *quo fine Lutherus vitam*

conclu-

concluserit; & quomodo cadauere in sepulchrum illato horrificus mox fragor & tumultus insonuerit, quasi totus Orcus in seipsum arma vertisset. eodem tumultu sequente itidem nocte, durante; & omnibus ingentem terrorem iniiciente. Quocirca incolas VVitebergenses compulsos fuisse tumulum reserare; quo facto, nec de corpore Lutheri, nec de vestibus quidquam apparuisse; sed intolerabilem fœtorem ex busto spirasse; qui multos in grauem ægrimoniam coniecerit. Hæc & his similia Lutheranus ille figulus in gratiam Lutheri, qui hoc figmento adeo non est offensus, vt illud etiam laudi ac gloriæ sibi duxerit, ac subiectâ quoq; glossulâ exornarit; in qua, præter cætera: Sonst thut mirs sanfft auff der rechten Kniescheiben/ vnnd an der lincken Fersen/ daß mir der Teuffel vnd seine Schupen/Bapst vnd Bapisten so hertzlich feind sind. Et ne forsan plasma hoc, temporis progressione, interiret, in octauum Tomum Ihenésem maturo consilio etiam cum Italico textu, illatum est; Talia comminisci Lutheranis primis, sui Lutheri honestandi & magnificandi caussa, perquam familiare erat: quasi toti mundo nihil aliud negotij fuisset, quàm vt de Luthero cogitaret. Hinc etiam toties ipse Lutherus, & alij, vt Lutheri gloriam amplificarét, commenti sunt subornatos esse à Papistis *sicarios* & *venenarios*, qui Lutherum aut sica aut veneno tollerent; & modò ex Polonia veniunt nescio qui Iudæi, modò ex Hungaria nescio qui mercatores, & alij aliunde; vt videre est in Latinis Epistolis Lutheri. Quæ omnia nihil aliud erant, quàm Lutheri & Lutheranorum technæ, fraudesq; vulpinę ad Lutheri comendationem ac laudem cõpositæ, quasi tanto Heroe superstite, Catholici de reb⁹ suis desperarét; ac proinde eius interficiendi gratia nihil intentatũ relinquerét.

 Redeo

Redeo in viam. Ex hoc Lutherano plaſmate videtur plaſtes noſter ideam ſui concinnandi petiiſſe; niſi quod non honeſtando, ſed dehoneſtando Bellarmino, totum figmentũ aptauit. Hinc illa tot viciatarum mulierum cohors, totq; infantium cædes ex delira criminatoris huius phantaſia exſculptæ. Quæ omnia meritò ridet Illuſtriſſim⁹ Bellarminus & dignitate & eruditione ſublimior, quàm vt ab huiuſmodi peſtilentium linguarũ ſpiculis feriri poſſit, nec ignorat, hæc ab Hæreſi vindictæ cauſſa fingi & ſpargi; quia enim per Tomos Cõtrouerſiarum luculentiſſimam plagam accepit, ideo furit ac perfurit: Et quia tot iam Lutheranos & Caluinianos Logodulos ac *Verbicines* Tomis illis refutandis fruſtra inſudaſſe, imò & impalluiſſe ac immortuos eſſe vidit, nouã refellendi rationem Hæreſis iniit, adſcita videlicet calumnia, qua atrocior vix vnquã exſtitit; ſperans vel hoc modo ſolidiſſima illa & prorſus adamantina Catholicæ fidei firmamenta ruitura, ſi Auctor perpetua ignominiæ macula aſpergeretur. Sed ſpe ſua falſa eſt; nam illi ipſi Controuerſiarũ Tomi, & alia doctiſſima eiuſdem Illuſtriſſimi Scriptoris opera euidenter, vt infra probabo, extremam vanitatem huius famoſi libelli redarguunt; neq; enim fieri potuit, vt talis beſtia, qualis in hoc commento depingitur, opera omni eruditione & pietate abundantiſſima conſcriberet, ſi enim Spiritus ſapientiæ non intrat in maleuolam animam, quanto minus intrare cenſendus eſt in eam, quæ flagitiis pluſquam Sardanapalicis, & facinoribus pluſquam Scythicis & Canibalicis obſtricta in profundo omnis improbitatis cæno volutatur.

CAPVT

CAPVT IV.

Maledicum hunc Tenebrionem non mereri fidem ostẽditur quartò ex aliis eiusdem dilucidis mendaciis cum insigni inscitia & impietate coniunctis.

AT iure quis scire aueat vnde huic calumniatori constet, Bellarminum ea scelera perpetrasse; quorum arcessitur. Huius desiderio expeditè ipsemet criminator satisfacit: Bellarminum enim *hæc omnia sigillatim coniecisse in libellum seu schedulam, confessionis faciendæ gratia Laureti*. Cæterum Bellarminus manu sua, & voce sonora ait; à trigita & amplius annis se Lauretum non esse peregrinatum; se Laureti non esse mortuum; sed saluum ac incolumem, viuentem cum viuentibus Romæ degere. *Deniq; nõ descripsi vnquam*, inquit Illustrissim⁹ Bellarminus, *nec scribi feci peccata mea in libello*: Hæc enim sunt ipsissima Bellarmini verba; quæ primo die Decẽb. Anno MDCXIV. *ad R. P. Ferdinandum Alberum*, inter cætera, scripsit, postquam immanis hæc fabula & calumnia ad aures illius, prædicti Patris indicio, venit.

Sed vnde hæc schedula tam ferax scelerum Impostori nostro? *Ioannes de Montgado Bellarmini Secretarius publicauit; qui Romæ capitali supplicio affectus est, nomine quidem quasi Apostolicas Bullas falsasset; reipsa verò, quòd schedulam illã Bellarminianæ confessionis euulgasset*. Mendacium hoc refellit, nobis viui; calumniatori autem defuncti Bellarmini chirographum, quod est istud. *Non habui Secretarium nomine Ioannem Montgado: Nec vllus meus Secretarius fuit vnquam extremo supplicio affectus.*

Vnde ergo Calumniatori iste Ioannes de Montgado? An cupis scire vnde? Paucis dicam: Vnde & reliqua vanissima & impudentissima commenta hausit, nempe à Diabolo, omnis mendacij & calumniæ architecto. At, cedo, figule, vbi edidit Montgadus iste hanc Schedulam, seu, vt tu vocas, *libellum*? Num Romæ? Quis Romæ vidit? Qua lingua? Num Italica? Quis in tota Italia moratur, qui affirmare possit, se hãc schedulam hac lingua conscriptã legisse? Vnde ergo tibi hæc schedula, fundus & fundamentum libelli tui famosi? Inde nimirum accepisti, vnde cætera, nimirum à cacodæmone, qui vt mendaciloquentiæ suæ commemorabile ad omnem posteritatem specimen ederet, os tuum, manum tuam, calamum, papyrum, & atramentum tuum, tanquam electum organum elegit; cuius interuentu vsus in Bellarminũ quidquid virulentissimo pectore conceperat, euomuit.

Mirum dictu, schedulum hanc publicatam fuisse; nec tamen ab vllo visam, nisi ab hoc Tenebrione; de quo si interroges, quis sit; Respondebitur, *Nescio.* Si interroget iterum, cuius nominis, dignitatis, cõditionis. Respondebitur, *nescio.* Si tamen interroges, cuius coloris, albi an atri? Respondebitur, atri, imò aterrimi, qualis est Plutoniæ sedis, ex qua totus hic calumniarum cento ad luminis oras submissus est.

Verùm vnde stramentitio Montgado hæc chartula? Audi cœlum, tellus, pontus & aër. Audi quidquid aures audiendi habet. Non satis est Calumniatori huic Bellarminum contumeliis afficere, & opprobriis incessere; etiam Confessarium, quem fingitur Bellarminus adiisse, *vecordem* ac *impium* facit. Principiò mentitur, Bellarminum Schedulam, in qua scelera illa exarata erant, tradidisse Cõfessario perlegendam.

dam. Vbi nefarius agyrta vel nesciit vel dissimulauit; hunc ordinarium morem Catholicis esse, vt licet quis peccata sua scripto comprehendat; ipse tamen pœnitens ꝓprio ore ea enunciet, & confessario patefaciat; quamdiu loquendi facultate præditus est; & contrarium extra casum necessitatis facere, ius fasq; nō esse, nec confitentes nec Confessarios latet.

Sed ecce Bellarminus Cōfessario schedulā suam perlegendam tradidit; ipse interim, vultu in terram defixo, adstitit, expectans ex Confessarij Cortina oraculum. Quid verò ille? Vbi chartulam percurrit, hat er sich verkreutzigt vnd versegnet. *Obstupuit, steteruntq; comæ, gelidusq; cucurrit, ossa per ima tremor.* Et addidit; (Audiuit enim iste Calumniator, post Sedem Cōfessarij latitans) *suo iudicio, huiusmodi hominem indignum esse, quem terra sustineat, se talia peccata remittere non posse, siue Diabolus ea remittat, siue mater eius. Se sibi persuadere, ne Deo quidem in cœlis tam atrocia flagitia & facinora condonandi facultatem suppetere.* Vbi iste repræsentat nobis Confessarium, non modo ineptum, inhumanum, & cyclopicum, sed & planè impium. Ineptū quidem, qui ignorauerit, quod à magno Nauarro in Manuali cap. 10. num. 6. his verbis traditum est. *Cum aliquod peccatum graue à Confitente audierit, nulla signa admirationis, abominationis aut pauoris ostendat, veluti spuendo, vel se cruce signando, vel seipsum commouendo, quin potius ac si nihil audiret, vsq; ad finem confessionis dissimulet, & tunc cum iam volet pœnitentiam imponere, peccatorum grauitatem ac deformitatem exponat.* At non ita, vt ab omni humanitate alienus Cyclops fiat, qualem iste in suum theatrum inducit; sed vt imitetur exemplum Samaritani illius, qui in vulnera sauciati vinum & o-

leum infudit; vinum vt morsicaret; oleum, vt leniret. Imitetur exemplum pastoris errabundam centesimam ouem propriis humeris ad caulas reportantis, & patris illius, qui in filij sui prodigi ad meliorem mentem redeuntis oscula summa cum voluptate & lætitia ruit.

Impium verò eundem confessarium imò & Hæreticum nobis exhibet, dùm mẽtitur, eum affirmasse, non modò nullum hominem, sed ne Deum quidem hæc tam enormia piacula remittere posse. Itáne verò, ô Calumniator? An existimas, si vnus homo patrasset vel patraret omnia scelera, quę à primo mortalium ortu vsq; ad hodiernũ diem patrata sunt, Deum fore tam imbecillum, vt de iis seriam pœnitentiam agenti, gratiam suam & beneuolentiam restituere nequiret? Absit, absit à piorum cordibus tam impia cogitatio. Nec vlla est peccatorum vel qualitas vel quãtitas, cui relaxandæ non sit in Ecclesia potestas.

Abi proinde, quo dignus es cum ineptissimis & absurdissimis tuis pseudologiis & lœdoriis. Voluntas mentiendi tibi vtiq; non defuit; defuit ars; non tantũ in eo, quod primarium est; vt Bellarminum Laureti obiisse Anno M.DC.XIII. sed & in iis, quæ secundaria sunt; cuiusmodi ista de confessione & Cõfessario; nam qui vel pauxillulam sacræ confessionis & Administrorum eius notitiam habet, scit longè aliter cum pœnitentibus agi, quàm iste referat. Qui cum omni & vsu & sensu confessionis destituatur, mẽdacia fundit non aliquid ingenij redolentia; sed prorsus incondita & absona, instar agrestis cuiusdam Corydonis aut Menalcæ; quale est etiam istud: *Confessarium tandem schedulam lectam abiecisse & abiisse; Bellarmino in summa*


animi

animi anxietate relicto. Vt verum esset, confessarium chartulam peccatorum enarratricem legisse, nunquã tamen lectam abiecisset, sed ei, à quo accepisset, reddidisset, prout huius Sacramẽti sanctitas & religio exposcit, quæ tanta est, vt ipsa etiam charta, in qua peccata consignãtur, si minus sub sigillum Confessionis certè sub naturale decretum cadat, licet alicubi fortuitò reperiatur; & quæcunq; crimina complectatur, ea nullam infamiam pariunt, nec magistratui viam ad supplicium sumendum aperiunt; si non alia ratione, quàm ex tali schedula cognita fuerint. Quapropter quamuis tota fictio ista non esset fictio, sed ipsamet veritas, imò ipsa veritatis medulla, nihil tamen aliud inde colligerem, quàm calumniatorem istum & omnes eius in hoc famoso libello diuulgando adiutores, immani crimine teneri, qui rem secretam, & ex iure naturali, diuino & humano non reuelandã, nefariè reuelauerint, nec Bellarmino vllum præiudicium apud sincerè Catholicos inde creari posse.

Sed absit, vt isthæc vero consonent. Totus iste famosus libellus vnum quoddam perpetuo tenore cõtinuatum mendacium est. Nec refuto, quasi vllum verisimilitudinis colorem habeat; sed vt demõstrem, quàm sit iste inficetus, inscitus & indolatus mendaciorum fabricandorum artifex, qui proculdubio vidit, cum Confessarius chartam illam abiiceret. Vidit etiam accurrentem fictitium illum Montgadum, suumq; & in huius impostoris vsum schedulam humo leuantem, non contradicente Bellarmino. ô affanias. ô gerras.

Deinde, dic, oro, cum mala sors Bellarminum ad tam rigidum, imò iniquum confessarium detulisset;

an æquiorem quærere non poterat? An vnus tantum Confessarius Laureti? Et cũ ibi Iesuitæ Confessariorum munere fungantur, quorum multi proculdubio Bellarminũ Romæ sæpius viderant; quî fieri potuit, vt à nullo agnosceretur? An non modò habitum, sed & staturam, faciem & pronunciationem mutauerat? Quî factum, quòd post comentitiam quoq; mortem Laureti obitam nemo inquisiuit, quis tandem iste peregrinus tam horribili nece exstinctus, esset? Quî factum, quòd Romæ nemo mortaliũ de Bellarmino Anno M.DC.XIII. vita functo quidquam sciuit, vel audiuit? Facilis tamẽ est ad hoc responsio; quia Bellarminus non tantum toto Anno M.DC.XIII. sed & sequenti Anno M.DC.XIV, integro vixit; Annumq; M.DC.XV. viuens ingressus est. Quid vis amplius Calumniator? *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius.* Bellarminus viuit adhuc. Audis criminator? Corruit ergo quidquid de schedula confessionis, de ipso Confessario; de Bellarmini ad Confessarium accessu, de Montgado, deq; desperabundo exitu vel potius exitio commentus es. Corruit & illud de mulieribus immane mendacium, cuius caussa reliqua omnia à mulieroso aliquo quinti Euangelij Theraponte conficta sunt. Viuat Illustrissimus Bellarminus, & calumniatores *sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores* & mendaciloqui impostores, *à facie Dei* & veritatis.




CAPVT

CAPVT V.

Refellitur famosus iste libellus argumentis ab ipsa Illustrißimi Bellarmini persona sumptis.

AIt Calumniator. *Bellarminum in pompa & fastu gesßisse se instar Principum, in cibo & potu instar Epicureorum; in castitate & vita Sodomaeorum.* Cæterũ hanc criminationem refellit tota Roma, in cuius luce ac conspectu degit; quæ quotide coram intuetur, quàm Bellarminus etiam in hoc dignitatis fastigio omnem superfluum cultum refugiat, & quantum fieri potest, omnia ad religiosam mediocritatem redigat; familiamq; ita instituat & moderetur, vt potius religiosa & Cœnobitica, quàm Cardinalitia appareat.

Sybariticum in esculentis & poculentis luxum refutat vel ipsa summa ætas, ad quam Bellarminus peruenit; ad quam crapula vel nullos, vel rarissimos & rarissimè pertingere finit; cum plerisq;, etiam ante omnem canitiem, gulam elidat. Nec Roma, nec societas nostra nescit, quantus frugalitatis & parsimoniæ amator sit fueritq; semper Bellarminus; vt & pudicitiæ ac castimoniæ; qua laude Illustrissimus Bellarminus ex ineunte æuo floruit. Memini quosdam, qui adhuc iuuenem Louanij concionantem in templo, & docentem in schola audierant, non aliter de Bellarmino sermones instituere solitos, quàm de illo, cuius ex vultu, vniuersisq; actionibus virginalis verecundia & decor eluceret. neq; vllus vel Romæ vel alibi exstitit, qui Bellarmino hanc laudem ademptum iret, tantum abest, vt quis flagitiis Venereis, aliisq; in-

fandis criminibus eum collutulare tentarit, donec ex Auerno turpissimus iste Criminator emissus est, lœdoriarum integris plaustris onustus: quæ tamen, vt vidimus & videbimus nihil pōderis habere possunt, nisi fortè apud illos, qui iam ceruicem suam inflexibiliter à veritate auerterunt, & ad fabulas conuerterūt.

Rectissimè ad Bellarminum trāstulero elogium, quod Postumianus apud Sulpicium tribuit S. Hieronymo. *Vir præter fidei meritum, dotemq; virtutum, non solùm Latinis atq; Græcis, sed Hebræis etiam ita literis institutus est, vt se illi in omni scientia nemo audeat cōparare, &c. cui iugis aduersus malos pugna, perpetuumq; certamen. Conciuit odia perditorum; oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit. Oderunt*, non Clerici, vt S. Hieronymum, sed Pseudocatholici, *quia vitam eorum insectatur & crimina. Sed planè eum omnes boni admirantur, & diligunt. Nam qui eum hæreticum esse arbitrantur* (& talem, qualem famosus libellus efformat) *insaniunt. Verè dixerim, Catholica hominis scientia, sana doctrina est. Totus semper in lectione, totus in libris est; non die, nō nocte requiescit; aut legit aliquid semper aut scribit.* Hoc encomium in Illustrissimū Bellarminum examussim conuenire, testantur apertè opera eius, summæ & omnigenæ eruditionis Latinæ, Græcæ, Hebraicæ; sacræ, profanæ; Ecclesiasticæ, Theologicæ, & Scholasticotheologicæ plenissima, quæ sine assiduissima veterū monumentorum lectione, & continua meditatione, mentisq; liquida quadam serenitate & puritate tam non potuerunt concipi, componi, & in lucem nasci; quàm non potest animus porcinus sese supra se & supra volutabrum suum attollere.

Sulp. Dial. 1.

Nam quod nuper Grammatista Casaubonus in- infice-

inficetis suis *exercitationibus* contra celeberrimũ Cardinalem Baronium, Bellarmino laudem Græcæ literaturæ detrahere conatur, id fortè ideo fecit, quia Bellarminus Græcas literas nõ didicit, Geneuæ, Prælis Typographicis Henrici Stephani assidens, &, strenui correctoris more, menda operarum emendans; & tandem præmij ac salarij loco filiam connubio stabili iungendam reportans.

Vtcunq; sit, Illustrissimus Bellarminus à prima pueritia hoc Apostoli mandatum Timotheo editum, sibi quàm diligentissimè obseruandum duxit, prout omnibus, qui Bellarminum norunt, notissimum est. *Teipsum castum custodi, exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, &c. Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrinæ; hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.* Præstitisti hæc omnia & quotidie adhuc præstas; & vtinam diu adhuc superstes, eadem præstes, ô celeberrime, integerrime, & eruditissime Cardinalis. Neq; vnquam vel latum vnguem à simili præcepto quod Apostolus discipulo suo Tito dedit, tibi discedendum existimasti. Quod nam illud? *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: Verbum sanum, irreprehensibile: vt is, qui ex aduerso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*; meritò scilicet ac verè; nam quo minus, quis etiam innocentissimus, maledicorũ iaculis immeritò ac iniustè appetatur, id in nullius manu est; nec ipse Apostolus, totius sanctitatis & perfectionis lucidissimum speculũ, linguas maledicas & infamatrices euitare potuit, vt ipse sæpius suis in Epistolis

1. Tim. 5.
Ib. cap. 4.
Tit. 2.

nos docet. Tota igitur Bellarmini vita ab incunabulis vsque ad hanc deuexam ætatem impudenti huic calumniatori impurissimum os oppilat; cunctasq; criminationes, ceu sol nebulam, dissipat. Viuit adhuc Bellarminus. Deus plures annos vitæ eius adiiciat. Audis Calumniator quid optem? Si hæc vota auribus tuis aspera accidunt; obde pessulum, & in æterum occlude.

CAPVT VI.

Refellitur libellus famosus ex ipsa immensitate & immanitate criminum, quæ Illustrissimo Bellarmino affingit.

EA adeo sunt enormia, & supra omnem veri colorem, vt si ab aliquo Suetonio, Lampridio, Vulcatio, Herodiano prodita essent de Nerone, Caligula, Heliogabalo vix crederemus. Et fermè mihi persuadeo Tenebrionem istum non seriò isthæc flagitia de Bellarmino disseminasse; sed tantummodo periculum facere voluisse, num quis tam fatuus, & ab omni ratione desertus futurus esset, qui assensum præberet. Fortè reperit, qui crederent, sed ex stupidioribus; quiq; Bellarminum nec de nomine norunt, neq; etiam accusationis granditatem ponderant, sed omnia, prout legunt, arripiunt, absq; vlla accuratiore discussione, num res ita sit; Certè Medicus Ambergensis Caluinicola, qui ante aliquot annos contra Bellarminum sub nomine *Ioannis Angeli Politiani* libros de Eucharistia euulgauit, hoc famoso huic libro testimonium candidè perhibuit in literis ad amicũ quendam

dam

dam datis, cuius verba ex ipso autographo hic tibi repræsento.

Fürs ander / wegen zugeschickter Landtlugen wider Bellarminum / (dann also haltens billich alle Verständige / für die es kom̃en wirdt / vnd kom̃en ist / in massen niemandt verständig bey vns anders hält / in Betrachtung / das fast greifflich / daß es ein vngeschickter Zelot sine scientiâ zusammen geraspelt hat) seynd anjetzo keine Exemplaria zu Amberg. Nach 3. oder 4. Tag / solle er haben zum wenigsten 6. Exemplaria / vnnd hab ich demselben nicht Maß zugeben / ob er dieselb suis hominibus com̃uniciern soll. Wir selbsten glaubens nicht / sonder haltens für ein grob schändlich Gedicht / beuorab weil Bellarminus (vnsers wissens / als die auch auff solche hohe Leut acht habē) noch im Leben. Das aber ist zuerbarmen / daß man solche sachen zu trucken gestattet: vnd weiß ichs gwiß / daß / als obs zu Basel getruckt wäre / ein lauter Gedicht sey. Amberg den 22. Nouemb. Anno 1614.

Est ergo iudicio istius Angeli Politiani commentum hoc I. *Manifestum orbiq́ patens mendacium*. II. *Ita meritò habitum iri ab omnibus intelligentibus, in quorum manus peruenturum sit*. III. *Nec alio loco haberi ab illis, in quorum cognitionem iam peruenerit: apud suos certè neminem prudentium aliter iudicare*. IV. *Liquere, & quasi manu palpari posse, figmentum hoc ab inepto Zelota, sine vlla scientia, consarcinatum esse*. V. *Se & suos nullam fidem adhibere, sed pro turpissimo commento reputare, præsertim cum Bellarminus adhuc viuat*. VI. *Dolendum esse, quòd talia excudendi facultas concedatur*. VII. *Sibi certò constare, commentitiū esse*, quòd Basileæ excusum fingitur. Optimè, mi *Angele Politiane*. Gratias agimus, & habebim⁹ quo-

que, cum dabitur occasio, pro candore & sinceritate; Et Basileæ famosum hunc libellum non esse editum, nullius alterius testimonio firmabo, quam ipsius Ludouici Königs cuius typis publicatus fingitur: Nam Ludouicus iste grauissimam sibi iniuriam ab isto irrogatam conqueritur his verbis, quæ verbatim desumpta sunt ex Epistola eiusdem Ludouici, quam dedit ad quendam magnæ dignitatis virum. Mit grosser verwunderung hab ich diß eingeschlossen Famoß Libell abgelesen / auff welches ein Ehruergessner Mann vnd Ehrndieb meinen Namen getruckt / vnnd nit allein meine Ehrn / sonder auch ein löbliche Statt Basel gantz ärgerlich vnnd vnuerantwortlich höchlich mißgebraucht. Halte auch den Trucker vnd Authorn für einen solchen als obnermeldt / so solch hoch verbottlich Famoß Libell hat außgehn vnnd trucken lassen / biß ich jhne / als ich verhoffe / einmal erkündigen könne: darauff ich dann allen fleiß anwenden / vnd kein Vnkosten sparen will / biß ich disen Ehrlosen Mann vnnd Ehrndieb erfahren mag. Wil auch hiemit den Herrn zum höchsten gebetten haben / mich nit allein bey den Herrn Jesuitern / sonder bey menigklichen diser schändlichen Auflag (deren ich mich diser / oder vil weniger anderer Famoßschrifften zutrucken habe gelusten lassen) zuentschuldigen. Es darff auch der Ehrnuergessen Trucker darauff setzen / Erstlich getruckt zu Basel / durch Ludwig König / da doch menigklichen bekandt / daß ich kein Truckerey / sonder was ich bißhero hab trucken lassen / verlegt habe in andern Truckereyen.

Quæ ad verbum latinè vertam, vt & ij, qui Germanicam linguam non intelligunt, intelligant, quid

Ludo-

Ludouicus König de hac re sentiat. *Magna admiratione legi libellum famosum, cui quidam honoris & existimationis suæ prodigus, & alienæ famæ violentus prædo nomen meum apposuit; nefariè & inexcusabiliter non solum meo, sed & inclytæ Basileæ nomine abusus est. Eoq; loco quo dixi, duco & Typographum & Auctorem, qui talem famosum libellum, tot legibus prohibitum euulgandum, typisq; edendum curauit, donec tandem, vt spero, quis nam ille sit, indagando comperero. Qua in re nec studio, nec impensis parcam, donec nebulonem istum, & honoris furem ex latebris in lucem extraxero. Quapropter summopere Dominum rogatum volo, vt me non solùm apud Iesuitas, sed & apud alios ab hac calumnia excuset; nunquam enim similium cartharum euulgandarum animus aut cupido fuit. Non veretur insuper propudiosus Typographus frontispicio adiicere: Primò per Ludouicum König excusum, cum omnes norint mihi Typographiã non esse, sed ea, quæ meis sumptibus hactenus prodierunt; in alienis Typographiis impressa esse,* &c. *Basileæ 15. Nouembris, stylo antiquo 1614.*

Videmus ergo ne ipsis quidem aduersæ partis hominibus, quibus mens est sanior, hoc monstrum probari. Et fungus sit, cui probetur. Quis enim credat Bellarminum, qui potissimam vitæ partem Romæ consumpsit, in tam aurita, oculata, &, vt Tertulliani verbo vtar, *linguata* ciuitate cum tanto illo mulierum exercitu; cum tot homicidiis, cum magicis illis artibus ac pręstigiis latere potuisse, ita vt ne minutissimũ quidem indicium emanaret? Quomodo tot *Comitissis*, tot *Baronissis*, tot nobilissimo stemmate cretis fœminis partim violẽtia partim contumelia inferri potuit, nemine prorsus id aduertente, in Theatro orbis Roma; in illa vrbium vrbe, ad quam tot vndequaq;

quaq; in dies singulos confluunt, quibus nihil aliud negotij, quàm dicere, audire, & inuestigare aliquid noui. Ne Heliogabalus quidem aut Nero mille sexcentas quadraginta duas mulieres abscondere potuissent, licet ad id omnem suam industriam cõtulissent.

Quãquam Impostor in titulo famosæ chartæ numerum prædictum exprimit. At in ipso contextu quatuor alias supernumerarias, & eximias adiicit. Sed ipse etiam ineptiam, & ineptiæ nõ iniuria arguar, si diutius in refutatione tam scelerati & ab insulsissimo *Zelota*, vt Politianus nominat, confficti mendacij immorer: quia totum nititur schedula Confessionis à Montgardo sparsa. Sed & schedula & Montgardus combustus, fabula est. Facesse igitur hinc mortalium dedecus, & si quando Diabolus ad mendacia disseminanda te iterum emittere volet, roga illum, vt in arte mentiendi te melius instruat; iam enim omnium ludibrio expositus es, etiam ipsorum Pręedicantium; qui licet inscitissima tua fabulamenta, quo possunt studio propagent, ac diffundant, id tamen non faciunt; quasi te peritum fingendi artificem existiment, sed quia illis volupe est Iesuitas traduci ac lacerari; aptè an ineptè; probabiliter an improbabiliter, quis in hoste requirat? Interim Bellarminus, cum B. Dauide, cuius Psalmos accuratissimo commentario
Psalm. 70. illustrauit, palam cantabit: *Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione & pudore, qui quærunt mala mihi. Ego autem semper sperabo, & adiiciam super omnem laudem tuam.*



CAPVT

CAPVT VII.

Scopus huius flagitiosi & famosi libelli.

SCopus vnicus est iste; vt cuncti armis sumptis, in Iesuitas insurgant, eosq; exterminent ac trucidẽt. Si enim Bellarminus omnium nominatissimus & clarissimus, talis est, quid de cæteris sentiendum? Hoc consilium suum non tacitè insinuauit, sed disertis verbis explicauit Auctor in Frontispicio & in calce libelli famosi, vbi ferale cornu publicè inflat, tympana tenta pulsat, & ex sublimi calumniæ turri, belli signum edit. Hinc intonat: Gottsverräther / Kelchdieb / Seelmörder / Hurer / Ehbrecher / Sodomiten / vnd bekandtliche Landsverräther / Ertzfeind / Ertzschälck. *moneté, vt omnes omni mora posita tandem ad horũ internecionem aduolitent; neq; diutius cũnctentur, ne Deus cũctatione offensus Germaniã grauib⁹ calamitatib⁹ inuoluat: satis superq; cessatum; iam tandẽ manum operi accingendam & efficaciter admouendã; & vt hoc certius persuadeat*, addit Germanicos Rhythmos: Ertzschelmẽ / Mordstiffter / loß Leut / Seynd d Jesuiter in der häut / ꝛc. Vaticinatur, *se Iesuitarũ exitio superstitem fore*; vt alia furiatę mẽtis excremẽta prætercam. Nescio, quis malus genius, vel quæ Tisiphone Prædicantes iam ab aliquo tempore agitet: Toti insaniunt; & quasi lemures stygiasq; laruas perpetuò oculis obuersantes intuerẽtur clamant, exclamant, eiulant, vlulant, vociferantur, opem & quidem celerrimam, flagitant. Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros. Hostis habet muros. Quæ Alecto Gorgoneis infecta venenis vos perterrefacit? Quæ Megæra cæruleis vnum de crinibus anguem in sinum atq; intima præcordia vestra coniecit, vt

haud paulo leuius bacchemini, quàm Virgiliana illa Amata? An fortè, vt illam Hymenæus filiæ in furorem rapiebat; ita & vos in furorem agunt quædam nuptiæ, & arma Caluinismo alicubi obiecta, ne quã-tum volebat, posset? An ideo sine more lymphati furitis? *Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo, Quem pueri magno in gyro vacua atria circum intenti ludo exercẽt.*

Talis *Bacchans* est etiam Ioannes Eucharius, verbi Caluiniani apud Schaffhusianos buccinator, qui in quadam sua *Scartecka* (aptius nomen non inuenio) contra Iesuitas arma amens fremit, arma toro tectisque requirit, & ad Bellum sacrum in Iesuitas, nominatim, ingenti vociferatione aduocat Regem Angliæ, Regem Daniæ, Electorem Saxoniæ, Electorem Brandeburgicum, Ducem Wirtebergicum, Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem; Landgrauium Hassiæ, Ducem Megapolitanũ, Ducem Pomeraniæ. Miror Batauorum oblitũ esse; quos sine dubio clausula generali inclusit, cum omnes, cuiuscunq; status & conditionis ad hanc tam magnificam expeditionem exciuit. Præstolare duntaxat patienter, mi Logodule, iam omnes à te inuocati in procinctu sunt. Paulò post cantare debebis cũ Marone: *Pandite nunc Helicona Deæ, cantusq; mouete. Qui bello exciti Reges, quæ quemq; secutæ complerint campos acies.* Sed malè à te factum, quod non definiuisti locum, in quo tantis copiis conueniendum erit? Si Vbiquista esses, suspicarer velle te, vt vbiq; congregarentur. Sed quia Caluinicola es non dubito, te certum locum designasse, si minus in charta; certè in priuatis ad singulos litteris: Quis verò hic alius locus quàm tua Schaphhusia? Inde postea copias in varias regiones diuides; & alias hac,

alias

alias illac pugnatum & prædatum ire iubebis, tu velut alter *Monetarius* seu *Münzerus* aderis, & ære viros ciebis, Martemq; grandisono cantu accendes.

O mei Prædicantes, seu Lutheranæ, seu Caluinianæ Logoduliæ addicti, vestra sanguinaria classica & celeusmata, vestra mille modis exaggerata conuicia, susq; deq; habemus; quia iam ab antecessoribus vestris similia sæpissimè audiuimus; eaq; tandem vt ex fumo orta, sic in fumum abiisse vidimus. Societas nostra arbitratur, & quidem non sine certa experientia, pertinere etiam ad se illud promissum Dei. *Ne timeas quia ego tecum sum. Ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi; & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te; erunt, quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quares eos, & non inuenies, viros rebelles tuos, erunt quasi non sint, & velut consumptio hominis bellantis aduersum te; quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensq; : Ne timeas, ego adiuui te.* Hac Dei promissione suffulti, maledicta, imprecationes & cōminationes vestras spernimus. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum*, aiebat B. Dauid. Et caussam addit; *quia Dominus protector vitæ meæ est.* Cur nos trepidaremus à vipereis Prædicantium linguis, quarum sonus mox euanescit in auras? & vt terrificus inexpertis videatur, experti tamen, ceu fulgur ex vitro ridení.

Isaia 41.

O mei Præcones, quàm nullo labore conuicia & rhythmi vestri ad vos remitti possent. Vnico vocabulo mutato, res confecta erit. Audite ergo præconia vestra reuocata quasi ex fuga, & ad vos, veros Dominos ac possessores, retracta.

Ertzschelmen/Mordstiffter/loß Leut/
Seynd d Predicanten in der Hent.
Jch erleb jhrn vndergang so wahr
Als zu Franckfurt der Juden schar.
Auch muß sich schämen jederman
Der sich solch loser Leut nimbt an.
Vnd kan vor Gott auch nicht bestahn
Obs gleich den Teuffel im Hertzen han.

Si quis ex Societate nostra tale quid contra Prædicantium furias spargeret; bone Deus qui clamores non tollerentur, & quidem vsq; ad sidera; imò & supra sidera?

Habuit Lutherus paulò ante suum exitium Anno M. D. XLVI. in Conuersione D. Pauli, concionem ad Halenses in Saxonia; quæ exstat Tomo octauo Ienensi Germanico, vbi seditiosissimus Gracchus, studium pacis, & quietis quo tenebatur his verbis exposuit. Mich wundert auch vber die massen sehr/wie jhr Herrn zu Hall/die Buben/die schäbige/laußige Mönch bey euch noch leyden köndt/dieweil jhr wisset/daß sie solches angericht haben/vnnd noch dise Stundt nicht auffhören zu schänden vnd zu lästern Gott/vnd sein heiliges Wort/die mutwillige/nissige Bößwicht/rc. jhr Herren solt einmal ein muth fassen/vnd die närrische/schäbichte Münch zur Statt außjagen/rc. Affen vnd Narren sind es/ in alle weg zu fliehen/vnd zu meyden/als die Gottsschänder vnnd Seelmörder/rc. Darumb so lasts euch gesagt seyn/feget die Hefen/Grundsuppen vnd den Saurteig der Münch auß/thut sie hinweg/verbietet jhnen das lästern/es ist lang gnug gewest. Hæc pacificus Lutherus.

Acci-

Accipiat Catholicus quiſpiam hæc ipſa Lutheri verba, ſubſtituto duntaxat Prædicantium nomine in locum *Monachorum*, iiſdemq; cohortetur Catholicũ aliquem Principem aut Magiſtratum, in cuius ditione Prædicantes commorantur, vt tandem Logodulos iſtos faceſſere iubeat; & vltra Caucaſum quintum Euangelium illic prædicaturos ableget; quæ confeſtim non naſcentur querimoniæ? Qui ploratus & eiulatus non exiſtent? Quæ implorationes ad ſuperos & inferos contra tam ſanguinarium conſultorem emiſſæ nõ exaudientur? Quibus inſectationibus non lacerabitur, quiſquis hoc conſilium dederit, tanquam publicæ pacis perturbator? Nunc quando Lutherus & Prædicantes aduerſus Monachos, & Ieſuitas, & vt paucis dicam, cõtra vniuerſos Catholicos, *arma, arma fremunt*, & magnis vocibus omnes ad internecionem expoſcũt, linguis animisq; fauendum eſt; & nè verbulo quidem contrà mutiendum; cumq; impudentiſſimè mentiuntur & calumniantur, cuius impudentiæ lucidiſſimum ſpeculum eſt famoſus iſte libellus, & pręterea palam omnes cohortantur, vt Ieſuitas trucident, non ſæuitiam, ſed clementiam admirari & *Mitiones* iſtos ac *Clementes*, velut nimium mites ac clementes adorare iubemur, ſi non flexis genibus, ſaltem apertis capitibus. Malè profectò, ô Logoduli Euangelio veſtro conſulitis. Quis, cui cor vel paululum ſapiat, lecta hac aduerſus Illuſtriſſimum Bellarminum calumnia, non execretur veſtrũ Euangelion, ex quo non niſi mendacia & calumniæ prodierunt; & quidem fili tam craſſi; vt ipſos Euangelij huius ſectatores pudeat?

Interim non obſtantibus his criminationibus,

quantumuis horribilibus, societas nostra in Germania crescit ac dilatatur quàm hominum, quàm domiciliorum numero. Et quò magis isti contrà tonant, eò magis ad nos complectẽdos, fouendos & tuendos, Principum virorum animi excitantur. Quæ à quadraginta annis non sunt disseminata de Iesuitis in Germania? Vbi nunc sunt illa commenta? Dormiunt in puluere & situ, & in obliuionem venerunt, vt vix nisi apud pauculos calumniosorum libellorum scrutatores memoria remaneat. Idem eueniet fœdissimo & flagitiosissimo huic aduersus Bellarminum libello; quia impudentia eius tanta est, vt terras diu perambulare minimè queat, reuocandus quamprimum ad tenebricosum Tartarum, ad prima scilicet ortus sui incunabula. *Nolite timere opprobrium hominum*, monet Deus per Isaiam, *& blasphemias eorum ne metuatis: Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est, qui contemnet me? Ecce omnes* (criminatores) *quasi vestimentum contere ntur, tinea comedet eos.*

Cap. 51. & 50.

CAPVT VIII.

De fabula Molsheimensi.

NE fabula de Bellarmino sola in vulgus exiret, adiunxit fabulator aliam Molsheimio ex Alsatia petitam de Luthero. Quæ nam illa? Iesuitæ Molsheimenses, superiore anno M.DC.XIV. in Iulio, (quinquagesimo quarto eiusdem mensis die) Comœdiam in theatrum miserunt, in qua duodecim Diabolos, quasi totidem Apostolos, introduxêre, duodecima sessione & statione Luthero tanquã Iudæ

Isca-

Iſcariothæ Vicario & ſuccidaneo aſſignata; quem Diabolus ille, qui vndecimum tenens locum Luthero à latere hærebat, in mille fruſta diſcerpere debebat.

Sed en, ô omnibus anteactis ſæculis inauditum miraculum, dum Dæmon iſte vndecimus nimis in officio ſuo cunctabundus eſt; horrifico ſonitu aduolitat tertiusdecimus, iſq; non comicus & fictus, ſed Tartareus Diabolus; & non Lutherum, Iudæ Vicarium, ſed vndecimum illum Diabolum, qui Luthero exitium machinabatur, in plures partes, quàm olim Mænades Penthea, dilacerauit, tota cauea inſpectante, & præ timore, obrigeſcente; quilibet enim capiti ſuo metuebat, ne fortè Alaſtor ille vno actore non contentus, aliquem etiam ex ſpectatoribus inuaderet, tanquam immanis culpæ reum, qui oculos & aures ſuas tam profanę Comœdiæ commodare voluerit.

Hanc verò fabulam non eſſe fabulam, ſed veram hiſtoriam probat inde fabulator, quia à variis ad varios perſcripta eſt. Etſi autem mihi hoc commentum refellere propoſitum non erat; quia Molsheimenſes noſtri ſine dubio id facient, quia tamen cùm fabula de Bellarmino iungitur, cuius fabulæ refutationem ego profeſſus ſum, non potui committere, quo minus hoc etiam plaſma obiter perſtringerem, & ſcriptioni primariæ hanc appendiculam attexerem. Et ô miſeros Ieſuitas, qui tot cladibus edocti nō ſapiunt; nec à Comœdiis, præſertim Luthero ignominioſis; abſiſtunt: Iam enim olim Monachij, Boiorum Metropoli, dum Lutheri papyraceum ſimulacrum, libroſq; Lutheranos & Caluinianos in ſcena exurunt;

arcem

arcem Principis incenderunt. Quis huius rei testis? Auctor Apiarij (der Binnenkorb) Hasenmüller, Leyserus & alij eiusdem prædicamenti tribules vel potius tribuli. Quod miror ab isto Mythologo omissum. De quo vanidico commento egi in Refutatione Historiæ Iesuiticæ. Illic Lector rei gestæ veritatem inueniet.

Lugduni in Galliis dum Anno M.DC.VII. in Augusto nouissimum Iudicium in orchestra repræsentant, formidabilia tonitrua & fulgura exstiterunt; fulmine in quandam Turrim collegio vicinam delapso. quo inopinato portento multi ex Spectatoribus & actoribus ita territi sunt, vt partim in grauissimos morbos inciderint, partim animas quoq; exhalarint. Quis rei huius testis? Quidam Geneuensis, qui Geneuæ ex specula quadam ad Rhodanum omnia propriis oculis vidit & audiuit, & propriis auribus hausit, & tonitruorum fragore Geneuam vsq; delato, penè exanimatus in Rhodanum decidit; & nisi nare didicisset, perisset. Quæ ipse Gallico quodam scripto, non absimili huic, de quo disceptamus, bona, hoc est, Caluiniana fide testata reliquit. Sed cum Lugdunenses veritatem in eius charta desiderarent, & quidem iure optimo, repertus est, qui hoc suum desiderium publicè explicaret, & quot mendacia quamq; immania Caluinista Anonymus effudisset, sigillatim annumeraret, & propemodum in statera appenderet. Vehemẽter miror fabulæ Molshemianæ fabro ignotum fuisse hunc Geneuensem Gallicè scriptum libellum; quia præ se fert, quasi Gallicam linguam calleat; & calumniatoribus peregrinarum linguarum gnaris hæc vel inprimis cura esse solet, vt non tantum vernaculas

naculas, sed & exodicas criminationes conuehant ac conuerrant.

Hæc calumnia magis ad rhombum calumniatorium fecisset, quia, vt fama ferebat, inter Comicos Diabolos, stygius quoq;, vetus ille veterator, adfuit; & cum ludentibus in theatro lusit; neminem tamen abduxit, quia multò humanior erat, quàm ille Molsheimensis. Octodecim quoq; Iesuitæ, & in his ipse Prouincialis, Rector, & Rhetor comœdiæ Auctor & choragus fulmine horribiliter in conspectu omnium prostrati sunt, qui & in vestigio exspirarunt. Quis vidit? Lugdunenses, qui aderant, hoc non viderunt, sed alius de grege Caluini; qui cum vel Geneuæ somniabat, vel Lugduni erat; sed nõ in theatro, vel si in theatro, oculos & aures domi reliquerat. Et tamen Iesuitæ necdum resipiscunt; sed comœdiis theatra quotannis & sæpius complent.

Exemplum non ita vetus est in Constantiensibus, qui ante aliquot annos, Hussum in proscenio combusserunt; Ex qua combustione quid natum? Incendium ingens. ô nugacissime bipedum! Hussum exurere, Constantiensibus nostris nunquam in mentem venit. Et quî venisset? Quid opus comburere illum, quem & temporales flammæ olim in cineres verterunt; & nunc sempiternæ illæ apud inferos sine consumptione perpetim comburunt, & in æternum cõbusturæ sunt? Exstitit quidem Constantiæ incendiũ Anno M.DC.XIV. nocte ea, quæ S. Marci festum antecedit. Sed hoc incendium exstitisse ex incendio Hussi, tam verum est, quàm verum est Geneuam aliquando arsisse ex incendio Serueti, nec Constantienses nostri eo tẽpore plus cogitabant de Husso in scenã

comburendo, quàm de ignoto & anonymo isto calumniatore in fauillas redigendo, & exstat iam typis descriptũ diploma amplissimi Senatus Constantiensis, quo mendacium hoc de Husso exusto, ædiumq; conflagratione inde nata grauissimè redarguitur. Num ideo erubescit hæreticus? Quomodo frons triplici ære rigens erubesceret? Quare præteriisti Achatem Hussi Hieronymum Pragensem? Cur nõ & hunc Vulcano absumendum obiecerunt? Fortè Hieronymum istum reseruasti, vt alia vice per eius viuocomburium tragœdiam igneam excites.

Etsi autem hoc totum nihil aliud est, quàm inanissimum mendacium, vt omnes Constantienses norunt; mirari tamen haud iniuria posses, quomodo semper ex incendiis Comicis & ludicris, quæ Iesuitæ instituisse finguntur, sequantur incendia, iudicio istorum, vera, & vt sic loquar *realia*, lugubria & multis damnosa: Ex incendiis verò, quæ sectarij excitant, nulla etiam exilis casula conflagret. Geneuenses, cõbusserunt Seruetum, non comicè, sed perquam seriò. Nihil damni illatum est vrbi, & ne minimũ quidem tuguriolum flamma vorax afflauit. Stutgardiani Philippum Melanchthonem & Caluinum in Comico Theatro ipsis Hilaribus seu Bacchanalibus, luculento rogo exusserunt, teste Marco Beumlero, Sacramentario Tigurino, in Apologia contra Smidelinum. Quæ pyra neminem læsit, nec vel capillum adussit. Si Iesuitæ hoc fecissent, iam media Stutgardia, si non tota, in cineres tenuesq; auras abiisset. Si Iesuitæ in Geneuensi vrbe Collegium haberent, & fortuitum aliquod incendium oriretur; in Iesuitas culpa deriuaretur, qui Seruetum iam olim cinerem factum, rursus in cine-

in cinerem redigere voluissent, missa in Theatrum, Comœdia vel Tragœdia Seruetica.

Incendium Collegij Viennensis vnde natum est Anno M. DC. VII? Ex Comœdia, quia Iesuitæ Lutherum comburere volebant, sed Lutherus haud segnis, anteuertit, & Collegium incendit, si Æsopus noster vera nobis denarrat. Verùm aut iste mentitur, aut alij, aut, quod verum est, omnes; qui caussam huius conflagrationis longè aliam reddiderunt, nempe repræsentationem disputationis Gretseri cū Hunnio, quem deuictum missilibus ignitis appetiuerint, ex quibus vnum nescio quò delatum Collegium accenderit. Quæ fabula longè lateq; diffusa, &, vt fieri solet, secundis auribus passim accepta, magnū plausum tulit, vt dixi in Commentario de calumnia & calumniatoribus super Satyram Misenicam. Nunc prodit iste, & fabulâ aliter exasciatâ, ab Hunnio & Gretsero omnia transfert ad Lutherum. Sed quàm verum primum tam verum & alterum. Istis sufficit mentiri. Quàm probabiliter & constanter, (si qua constantia in mendacio esse potest) sibi non valdè laborandum esse existimant. De quo plura non addo. Vide prædictum Commentarium meum; & tam ex illo, quàm ex iam disputatis iudica, quàm sit istorum frons effrons, & mens amens; quos Iesuitarum Comœdiæ vrunt; quia ipsi paria facere nequeūt. Sciunt, qui aliquando Comœdias à Lutheranis & Caluinianis Ludimoderatoribus datas spectarunt. Sciunt inquam, quàm omnia frigeant; quàm omnia sint exsanguia, exsucca, & exossa, vt spectatoribus dormire magis, quàm spectare libeat; nisi si quando repræ-

ſentatione Monachi vel Monialis, ſcurrarum in morem, theatrum nonnihil calefaciunt.

CAPVT IX.

Stultitiæ fabulatoris commiſſæ in enarranda Molsheimenſi fabula.

PRima eáq; maxima eſt, quòd credidit ſibi quidquam humani vel diuini creditum iri, poſtquã audaciſſimè mentitus fuerat, Bellarminum Laureti horrifica morte vitam finiiſſe, Año M.DC.XIII. qui toto anno M.DC. XIV. tota Roma teſte, vixit, & etiam hoc anno M.DC.XV. feliciter viuit. In tali mendacio tam aperto & dilucido, ſi quis aliquem deprehendat, vt iſte certè deprehenſus eſt, eiq; poſtmodum narranti res peregrinas, & quaſi alibi factas, fidem habeat, is non iniuria leuis, parũmq; circumſpectus reputari poteſt.

Secunda ſtultitia eſt; quia vndecimum illum actorem ſub ſchemate Diaboli, ait Ieſuitam fuiſſe. ἀ-πόπι. Itáne Ieſuitæ perſonas in Comœdiis agunt? Nunquam viſum, nunquam auditum. Nunquam videbitur, nunquam audietur, niſi ex mentientis ore. Adoleſcentulorum, quos Ieſuitæ inſtruunt, tota hæc exercitatio eſt, coniuncta cum nonnulla ſpectatorũ voluptate, imò & vtilitate. Raró enim à noſtris Dramatis, ita omnis ſpectator abſcedit, vt in nullius animo aculeus vel ſcrupulus relinquatur.


Tertia ſtultitia eſt; cum fingit, ea in comœdia duodecimum Diabolum, hoc eſt, Lutherum diſcerpi debuiſſe ab vndecimo Diabolo. Ineptus es Poëta, qui

qui talia fingis, ineptior cũ in publicum Germanici orbis theatrum introducis. Lupus lupum non deuorat, canis caninam non comest. Quomodo Diabolus Diabolum discerperet? Scis, quid calumniantib⁹ Pharisæis respoderit Christus, Dæmonem à Dæmone non expelli, alioqui ob dissidia regnum eius stare non posse. Cum ergo Poëta in suis fictionibus Comicis & Tragicis debeat esse imitator veri, quomodo hoc suo officio functus fuisset; si Diabolum, Collegam suum, discerpturum introduxisset? Et cur huic soli hoc officium commissum? Num deni alij assessores Diaboli spectatores tantummodo trucidationis & euisceratonis futuri erant?

Quarta, eáq; immensa & nullis terminis circumscripta stultitia; fingere, aliquid publicè in conspectu totius populi gestum esse, de quo tamen nemo mortalium ante hunc famosum libellum, quidquam inaudierit? Quomodo fieri potuit, vt res tam noua, tamque tragica non emanaret, saltem ad vicinæ Argentinæ, tantæ ciuitatis, aures, & inde vlterius, torrentis instar? Scilicet omnes hunc nugiuendulum exspectare debebant, donec tam prodigiosum euentum mundo patefaceret. An omnes spectatores cœci erant, qui quid in Theatro contigerit, non viderint? An surdi, vt eiulatus miseri illius Diaboli vndecimum locum tenentis, dum membratim discerperetur, non perceperint? An muti & elingues, vt quæ viderant & audierant, eloqui non potuerint? An arte scribendi, manibusq; caruere, vt nec scribendo quidem tantum portentum ad aliorum notitiam transmittere valuerint?

Senatus Molsheimensis, inquit Impostor, *edicto statim cauit, ne quis hac de re mutiret*. Quomodo possibile est, vt tantæ multitudinis quà incolarum, quà aduenarum ora vnico Senatus interdicto frænarentur & in perpetuum clauderentur, cum ea sit multorum indoles, vt quo vehementius aliquid vetatur, eò ad id reuelandum & propalandum fauces magis pruriant. Stultissimus es, si seriò cogitasti, te hanc tuam stultitiam circumspectionibus persuadere posse? Iam tibi missionem do; quisquis es ô Tenebrio. Vtinam, quàm tibi do, tu dares mendaciis, calumniis, criminationibus, sycophantiis, impudentiæ & infrunito ori ac calamo; & dabis, si saluus esse velis: nam nisi pœnitentia hunc famosum libellum eluas; ad cœlum nunquam, ad Orcum autem quocunq; momento admitteris.

FINIS.



6

VINDICIÆ BELLARMINIANÆ ET MVRICVM PRÆDICANTICORVM

A

CRIMINATIONIBVS ET INSCITIA LVTHERANI CVIVSDAM MAGISTELLI ZEPHYRII, VNA cum Lutheranæ fidei Specillo.

AVCTORE

IACOBO GRETSERO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

AD


REVERENDVM ADMODVM IN CHRISTO PATREM AC DOMINVM, D. STEPHANUM, Monasterij Schirensis, Ordinis S. Benedicti Abbatem dignissimum.

ANNO  M.DC.XI.

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiest.

INGOLSTADII,

Ex Typographeo ADAMI SARTORII.



ADMODVM REVE-RENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DN. STEPHANO, CELEBRIS MONASTERII SCHIRENSIS EX ORdine S. Benedicti, Abbati dignissimo.

DIVINO quodam consilio accidisse arbitror, *admodum Reuerende Præsul*, vt hoc Opusculum iam pridem à me conscriptum, prius in Typographica Officina locum non reperiret, quàm annus hic Millesimus sexcentesimus decimus ad exitum tenderet; & alteri iam appetenti de statione sua cedere properaret. Qua mora duo cõsecutus sum; alterum, vt strena suppeteret, quam *R. P. T.* recepto more offerrem; alterum; vti eidem *R. P. T.* partam nuper dignitatem, & religiosam Præfecturam opportunè gratularer.

Et quod ad ſtrenam atinet, fateor, eam parem eſſe meis opibus & copiis, non tuis & totius Venerādi *Schirenſis Conuentus* meritis cum communiter in homines de Societate noſtra, tum priuatim in me: nihil enim aliud cōtinet hæc ſtrena, quàm rudem quendam & ineptum de grege Lutheri *Magiſtellum*; quem tamen laui, lautumq; compſi & pexui, prout potui, ne planè hirſutus & hiſpidus *Schiram* in conſpectum *R.P.T.* veniret. Eſt, cùm non tantum formoſa & concinna, ſed & informia ac inconcinna, & ipſa itidem ſeu naturæ ſeu artis monſtra æquè, vel plus etiam oblectant, quàm quæ omnib⁹ numeris abſoluta ac perfecta ſunt: Eodem priuilegio ſpero hunc meum Polyphemi Lutherici pullum fruiturum, atque adeò ipſo ſuo rure & inſicetia plus quàm Cyclopica gratum acceptumque fore.


De infula *R.P.T.* capiti nuper impoſita, & paſtorali pedo commiſſo, cùm nuncium accepiſſem, dixi aliquid ſimile eius, quod olim Hiram Rex Tyri dixit, cum audiſſet Salomo-

lomonem in Sedem Dauidis, parentis sui, subuectum; *Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium sapientißimum super populum hunc plurimum.* Gratias egi Deo, quòd post nuperum excessum optimi Patris & Abbatis BENEDICTI, cuius memoria Schirensibus nunquam excidet; certè, ob tam præclaram & diuturnam rerum administrationem, nunquam excidere debet; te successorem dederit, te, inquam, qui ceu annis, sic & religione, ingenij dotibus ac literis flores, vt quantum ad occasum deuexa ætas; & exiguus pietatis ac eruditionis gustus rebus benè gerendis impedimenti adferunt; tantum sibi hisce opposita, quæ in te elucent, adiumenti allatura sint. Quocirca iterum Academia Ingolstadiensis, ex cuius disciplina prodiisti, (quemadmodum alij nõ pauci Boiorum PRAELATI; quorum nonnulli iam *placida composti pace quiescunt*; alij adhuc ad religiosæ Reipublicæ clauum sedent;) ob hunc alumnum sibi gratulari potest ac debet, nõ sine apprecatione, vt, quod

Deus feliciter cœpit, id felicius perficiat; & tandem felicissima coronide coronet: quod & ego voueo; & cum hoc voto desino. Ingolstadij, Kalendis Ianuariis. Anno Redemptoris M. DC. XI.

Admodum R.P.T. seruus in Christo,

IACOBVS GRETSERVS.



APPROBATIO R.P. PROVINCIALIS.

Vt hæc Illustrissimi Cardinalis BELLARMINI ab indoctis Lutherani cuiusdam Magistelli calumniis vindicatio, scripta à P. Iacobo Gretsero, & à Theologis ad id deputatis lecta & probata, in lucem edatur, facultatem concedo. Ingolstadij 12. Iulij, 1610.

THEODORVS BVSAEVS, Societatis IESV, per Germaniam superiorem Prouincialis.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICAE IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

Vindicias istas, Lutheranæ ignorantiæ clarissima indicia, vtiliter in lucem exituras arbitror.

PETRVS STEVARTIVS Leodius, SS. Theologiæ Doctor, Professor, Academiæ Ingolstadiensis Procancellarius, & Parochus Mauricianus, &c.

LVTHE-




LVTHERVS DE ZEPHYRIO MAGISTELLO SVO, IN DEFENS. VERBORVM COENÆ TOM. VII. Lat. Witeb.


VÆ *nostris Doctoribus & Scriptoribus* (& in his tibi Scriptorcule Magistelle) *qui adeo securè agunt, & omnia, quæ modò in buccam veniunt, euomũt, & non prius decies cogitata animo voluunt atque reuoluunt, ponderantes, nunquid cum verbo Dei congruant, & vera sint. Sed somniant Diabolum procul hinc vsque in Babylonia res suas agere; aut, vt maximè propè sit; tamen, vt canem, in culcitra, securè & molliter dormire; nec semel in eas descendunt cogitationes, quod circum circa teneat loca omnia suis venenatis & ignitis telis, hoc est, cogitationibus pulchris auctoritate Scripturæ fucatis, &c. Sed quid ago? Nihil admonitionibus, nihil cohortationibus, nihil deniq; comminationibus promouemus; nam Diabolus mille artifex est;* & tales Magistelluli auribus carent; vel si aures habent, nihil tamen audiunt.

Luthe-

Lutherus ibid. *Nos Germani* (Luthera-ni) *tales homines sumus, &, quæ noua sunt affectamus, & auidè arripimus, & insani mordicus retinemus, & quò quis nos vehementius reprimit, eò furiosiores reddit, etc. Hæc res Diabolo magnam affert occasionem, vt nullum adeo monstrosum somnium aut commẽtum possit proferre, cuius non inueniat assertores, & hos quidem eò citius, quò id quod affert, est absurdius & ineptius.* Huius dicti veritatem si nullus alius ex Nouatorum cœtu planam testatamque faceret, ille tamen ipse, ex cuius labiis processit, & Magistellus Zephyrius abundè eam comprobaret, vt lector ex lectione huius opusculi clarè intelliget.



AD



AD LECTOREM.

N*VNDINIS autumnalibus Anni* M.DC.IX. *prodiit antea sæpè in Francofortensibus Catalogis promissus liber hoc titulo.* Speculum Iesuiticum, *hoc est,* Demonstratio Esauiticæ profanitatis, Pelagianæ leuitatis, blasphemæ impietatis Bellarminianæ & Gretserianæ asserentis:

I. Ethnicos fuisse naturaliter Christianos.

II. Fundum articulorum fidei esse rationis non renatæ notiones.

III. Caussam reprobationis impiorum esse solam Dei voluntatem, Deum esse *μισάνθρωπον*, peccati Autorem. Elaborata & honorarij loco Suitis transmissa, *à M. Ernesto Zephyrio Witebergæ.*


Etsi autem hac ætate vanissimorum &


mendacissimorum libellorum, nec modus, nec finis est; non iniuriâ tamen ambigere cœpi, num vllus alius huic Speculo *palmam vanitatis præripiat: est enim non modò calumniis, criminationibus, mendaciis, imposturis & sycophantiis, sed inscitia quoque imò & amentiâ plusquam maniacâ longè refertissimum; nil nisi furias & furores vbique spirans, ita vt perquam arduum sit, oculos in aliquam pagellam coniicere, & simul teterrima ac probrosissima conuicia, mendacia, & ruditatem plusquam belluinam non videre. Nihil mentis, nihil frontis, & ne vestigium quidem vllius eruditæ cogitationis in toto libro inest. Omnia olent animum furore, cereuisia, & temeto sepultum: quibus, absit, vt refutationis gratia, aliquid reponam. Sponte sua in nebulas abeunt; nec me tangunt, aut feriunt: multò minus Illustrissimum Cardinalem* Bellarminum, *excelsiore loco positum, quàm vt spicula horum tenebrionum eò pertingere valeant.*

Omissis igitur Nouatoris huius atrocissimis lædoriis & pseudologiis, rem ipsam breuiter examinabimus, & num vllam iustam tan-

toperè

toperè furendi & criminandi caussam habuerit, disquiremus. Illud non improbo, quòd suæ vesaniæ speculum *in gratiam Polycarpi Leiseri elaborauit; vt* Honorario *à me ad Polycarpum transmisso, saltem aliquid rependeretur: nam Prædicanti, mendaciis & calumniis assuetissimo, certius operam suam probare non potuit, quàm insigniter mentiendo, & criminationes cateruatim quasi ex plaustro in Iesuitas eiaculando. Hæc enim expedita ratio est, qua famelici Magistelli Lutherani apud potentiores Prædicantes, offas, etiam menstruales, promerentur.*





NVGÆ HÆRETICÆ DE NATVRALI CHRISTIANO.



Lib. 1. de Christo cap. 3. demonstrat Illustriss. Bellarminus ex scriptura & patrib. *Deum esse vnum numero*: Et in sexta probatione inter alia, sic scribit. *Adde, quod Patres docent, Gentiles, etsi vulgo plures Deos colerent, tamen vnum Deum naturaliter cognoscere potuisse, sicut reipsa Philosophi vnum Deum cognouerunt, & ea ex parte quasi naturaliter Christiani fuerunt. Verba hæc profana, & Pelagiana*, inquit Hæreticus, *vbi primum percurri, omnino cohorrui.* Non dubito; quia admodum religiosus es, ac propterea religioso horrore facilè perfunderis. Tria tamen abs te hic animaduersa oportuit primùm, hanc locutionem ipsis etiam patribus, priscisque scriptoribus vsitatam esse; nominatim Tertulliano, & Iustino Martyri: quorum ille in Apologetico cap. 17. animam ita loqui consuetam. *Deus videt*: *Deo commendo*: *Deus mihi reddet*: vocat, *naturaliter Christianam. O testimonium animæ naturaliter Christianæ*; exclamat Tertullianus.

Quid Iustinus in Apologia ad Antoninum Pium Imp. *Quicunque cum Ratione ac verbo vixêre, Christiani sunt; quamuis athei & nullius numinis cultores habiti sint; quales*

inter

inter Græcos fuêre Socrates & Heraclitus, atque iis similes: inter Barbaros autem Abraham, Ananias, Azarias, Misael, & Elias, & alij complures. &c. At qui cum ratione & verbo vixerunt, atq; etiam nunc viuunt, Christiani, & extra metum atq; perturbationem omnem sunt.

Si oratio Bellarmini est *profana* & *Pelagiana*, quanto magis oratio Tertulliani & Iustini profana & Pelagiana erit; quia Tertullianus non dicit; animam talia de vno Deo proloquentem & testificantem *ex parte quasi naturaliter Christianam esse*: sed absque additione: *naturaliter Christianam* appellat. Iustino quoque Socrates, Heraclitus, & omnes μετὰ λόγου βιώσαντες καὶ βιοῦντες, qui rationi conformiter vixerunt aut viuunt *Christiani* sunt: nec restrictione illa vtitur: *ex parte, & quasi naturaliter Christiani*. An & ex Iustini verbis exsculpet nobis Hæreticus Magistellus, naturalem Christianum, *Esauiticum*, ἄθεον, ἄχριστον, *sine Deo, sine Christo?*

Secundò animaduertere debebat sectarius Bellarminum non simpliciter affirmare, Philosophos gentiles propter cognitionem vnius Dei fuisse *Christianos*: Sed vti hac limitatione: *Ea ex parte quasi naturaliter Christiani fuerunt*. Distant autem ingenti discrimine istæ enunciationes. *Philosophi gentiles, qui vnum Deum naturaliter cognouerunt, fuêre Christiani*. Et; *Philosophi Gentiles, qui vnum Deum naturaliter cognouerunt, fuerunt ea ex parte quasi naturaliter Christiani*. Nam prima id significare videtur, & ita etiam ab Hæretico Magistello semper proponitur & exagitatur, quasi ad absolutum & propriè dictum *Christianum*, sufficiat naturalis cognitio vnius Dei: qui sensus nulli, qui sensum non amiserit, probari potest; tantum abest, vt probetur Bellarmino, viro eruditissimo. At altera propositio per particulas illas, *ex parte*, &, *Quasi naturaliter*, restricta & temperata,

longè alium sensum legentibus offert, vt per se planum & apertum est. Hæreticus tamen voculas illas ferè semper præterit; vt eò vberiorem calumniandi occasionem habeat.

Tertio animaduertere debebat Magistellus noster, quando Patres & cum Patribus Bellarminus dicit; gentiles Philosophos *ex parte quasi naturaliter fuisse Christianos*; propter naturalem cognitionem vnius Dei; eos nomen *Christiani* vsurpare non strictè, sed latè, nam *Christianus*, notione propria & pressa, non constituitur, nisi per fidem & alia dona supernaturalia. Quia tamen ille, qui vnum Deum, etiam naturaliter, agnoscit & confitetur, vt factum à multis Philosophis, aliquo modo accedit ad id, quod Christiani fide supernaturali credunt, docent & profitentur: ideo non iniuriâ *ex hac parte quasi naturaliter Christianus*, vel sine additamento, cum Tertulliano & Iustino; *Christianus* nominari potest, eo tamen sensu, quē iam indicaui, improprio scilicet & lato; non proprio & stricto: quia omnes boni norunt, Christianum non constitui per charismata naturalia, sed per supernaturalia. Est autem supernaturalis fides vnius Dei, fundamentum totius Christianismi: Et quoniam qui vnum Deum naturaliter quoque agnoscit, ad hoc Christianismi fundamentum aliquatenus accedit, *Christiani* nomen à Patribus sortitus est; vt & omnis ille, qui rationi conuenienter vitam instituit.

Philosophos vocat Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ cap. 11. cum Tertulliano *Patriarchas Hæreticorum*, quòd ex errore Stoicorum de origine animarum natus sit error Manichæi & Priscilliani, &c. Ex errore Platonis, error Origenes. Ex Aristotelis sententia non bene percepta, error Apollinaris. Vide Bellarminum. Ad quæ Magistellus. En

En qualia subiecta statuit Bellarminus *naturalis Christianismi*. Naturalem Christianismum non admittimus, nisi in sensu antea explicato. Sed an fieri non potest, vt etiam malus & improbus naturaliter Deum cognoscat, idque vel demonstratione à rebus creatis petita; vel ex relatione aliena de vno Deo, cui fide humana assentitur, quemad modum aliis, quæ nobis referuntur, assentiri solemus, si creditu digna videantur: vel lectione eorum librorum, qui vnum Deum prædicant, siue sint libri sacri, siue profani; nam & Philosophos olim in sacros libros incidisse, non pauci ex veterum numero tradunt. An fieri nequit, vt qui de vnitate Dei rectè sentit; sentiat perperam de alio quopiam capite; vel saltem doctrinâ suâ non satis dilucidè & enucleatè explicatâ, aliis errandi occasionem præbeat? Probitas & naturalis scientia de vno Deo non connectuntur necessariò.

Neque sequitur: Hic vel ille fuit improbus: inque aliis quæstionibus à vero excidit, ergo non cognouit Deum naturaliter; ergo ex hac parte non fuit *quasi naturaliter Christianus*; vt cum Tertulliano & Iustino Bellarminus loquitur. Hæc & id genus alia non sunt erudita cogitata, sed Magistelli nostri febrilia deliria, quibus dispellendis sufficit S. Pauli auctoritas ad Rom. 1. vbi docet, Philosophos ex rebus creatis in cognitionem vnius & veri Dei peruenisse: Et tamen huic cognitioni conformiter vitam non instituisse; nec Deo cognito honorem & reuerentiam detulisse; & propterea in cogitationibus suis euanuisse.

Probat Bellarminus lib. 2. de sanctis cap. 13. Ethnicos idola lignea & lapidea, &c. habuisse & coluisse pro Diis: Et nonnullos ex illis duplices Deos statuisse; alios

factos

factos à summo Deo: alios, factos ab hominibus. Lege Bellarminum loc. cit.

Hîc vociferatur Magistellus: Bellarminum nomine vnius Dei *naturaliter* à Philosophis cogniti, nil intelligere, *nisi prædictam Deorum à summo Deo, & ab hominibus conditorum multitudinem*: Et hanc inanium Deorum turbam constitui à Bellarmino *Christianismi fundamentum*. Quæ sanè tartarea est calumnia. Nam quando Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 3. & lib. 4. de Gratia cap. 2. probat, naturaliter cognosci posse, *Deum esse*, *& esse vnum*, Et à Philosophis quoque cognitum esse, alium non intelligit, quàm illum Deum, de quo Apostolus ad Rom. 1. *Inuisibilia enim ipsius* (Dei) *à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles: quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, &c.*

Scribit Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 10. illa verba Hieremiæ Prophetæ cap. 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, &c. Omnes enim scient me à minimo eorum, vsque ad maximum eorum*, posse etiam intelligi de cognitione vnius Dei: quæ nunc longè latius diffunditur, quàm olim, cum non solùm Christiani, sed & Iudæi & Turcæ, alioquin impij, vnum Deum confiteantur & colant, antiqua illa Deorum multitudine ex plerorumque cordibus expuncta.

Hîc iterum insanit Magistellus: En, inquit, *Bellarminus abnuit vnitatem Dei cum indiuisa vnitate intimè cohærentem, esse mysterium.* Non quæram, quid sit *vnitas cum indiuisa vnitate intimè cohærens*; quis enim rationem orationis ab eo reposcat, qui quid blateret, ignorat? Bellarminus hoc duntaxat dicit, & rectè, posse

Hiere-

Hieremiæ locum accipi non tantum de scripturarum mysteriis absconditis, sed & de cognitione vnius Dei; quæ, vt naturæ viribus parabilis est, *absconditum mysterium* non est; nam ea dici solent *mysteria abscondita*, quæ humanæ naturæ vim & facultates transcendunt; eiusmodi non est naturalis cognitio Dei; Hanc enim adipisci possumus humani ingenij studio, *quia quod notum est Dei*, inquit Apostolus Rom. 1. *manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit. Audi quomodo illis Deus manifestauit*, inquit S. Augustinus Serm. 55. de Tempore. *Inuisibilia enim per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Interroga mundum, ornatum cœli, fulgorem, dispositionemque siderum, & vide si non sensu suo, tanquam tibi respondent, Deus nos fecit. Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognouerunt:* Et ex hac quidem parte quasi naturaliter Christiani fuerunt, hoc enim auribus tuis, velis nolis, etiam per media conuitiorum tuorum occursacula, ingerendum est.

Mentitur Magistellus, Bellarminum Ethnicis, Iudæis, & Turcis eam vnius Dei notitiam tribuere, *quæ ex luce regenerationis Spiritualibus credentibus infunditur.* Nihil minus facit Bellarminus. Non aliam illis tribuit, quàm naturalem; qualem illis Apostolus quoque ad Romanos tribuit, & omnes illi, qui docent, existentiam & vnitatem Dei naturaliter cognosci posse. Supernaturalem cognitionem in solis fidelibus statuit Bellarminus: cum isti soli fide supernaturali sint præditi.

Iterum calumniatur, vnitatem Dei, quæ naturaliter cognosci potest, nil aliud esse Bellarmino, quàm *collegium plurium Deorum*, *Et hoc à Bellarmino pro fun-*

damento Christianismi poni. O duram faciem. ô exsanguem frontem. An ideo Bellarminus ita sentit, quia commemorat Ethnicis plures fuisse Deos, alios maiores; alios, minores? Et tamen Magistellus inscitissimè bacchatur. *Hæc, hæc est illa Helena, pro qua contra certant Esuitæ: vnitas talis, quæ examen Deorum, malorum Spirituum collegium, maiorum & minorum inuoluat. Hæc est origo Ethnicosuitici Christiani.* Ferte citò vincula, & compedes, vt cerritum istum & helleborosum vinciamus, aliàs furiosè in omnes insiliet, omnes lacerabit, omnes cruentabit: nam & nunc impetum dat in Iacobum Payuam Andradium Lusitanum, qui scripsit, *fidem ex rebus etiam iis, quæ sensibus subiiciuntur, haberi posse: non tantùm ex sacris litteris.* Prô scelus inexpiabile. Furippus noster præ tumore & furore vix se capit. At dic, Magistelle, sed pacatè si id furor sinit. An tu fidem ex solis sacris literis hauriri existimas? Quomodo ergo acquisita est olim priusquam sacri libri conscriberentur? Apostolus non dicit; Fides ex Bibliis est; sed; *fides ex auditu.* Vnde hauserunt fidem barbaræ illæ nationes, de quibus lib. 3. Irenæus, quæ in Christum crediderunt, cum nulla sacrarum literarum volumina haberent?

Sed ad Andradium; qui non vult, vt iam olim in Labyrintho Creticohunniano cap. 4. declaraui, cognitionem illam naturalem Dei, quæ ex rebus creatis, solis naturæ viribus, obtineri potest, valere ad salutem primam vel vltimam; Sed, hominem hac cognitione, qua cognoscit res creatas, earumque conditorem, manu quasi duci, vt diuina gratia præuentus & adiutus, eundem etiam omnium rerum parentem, resque captum naturæ excedentes per fidem supernaturalem diuinitus

uinitus sibi datam cognoscat & credat. Quod verum esse testatur Apostolus, cuius hæc oratio: *Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles.* Cur isti excusatione nulla se defendere possunt? ideo nimirum; quia gratia DEI vsi non sunt: quasi vti voluissent, ab hac naturali cognitione ad supernaturalem procedere potuissent. Rom. 1.

Hanc suam mentem apertissimè explicat ipse Andradius lib. 3. Orthod. Explicationum, vbi ita scribit: *Fidem, veramq́; DEI cognitionem, fundamentum iustitiæ perpetuò exstitisse, nemo vnquam sanæ mentis dubitauit, cùm sit non modò D. Pauli testimoniis, sed omnium Prophetarum vaticiniis, Euangelistarumque monumentis confirmatum. In fide enim veteres maioresque nostros testimonium iustitiæ fuisse consecutos, D. Paulus ait, vtpote, ex qua iustus viuit, & iustitia omnis excitatur: veram autem DEI cognitionem non ex sacris tantùm literis, diuinisque oraculis, sed ex rebus etiam iis, quæ sensibus subiiciuntur, haberi posse, idem Paulus testatur, cùm veterum Philosophorum crimina nulla ignorationis excusatione defendi posse asserit: quippe quos abdita maximè, & recondita DEI mysteria, & quæ cerni corporeis oculis non possunt, per res ipsas creatas, tanquam per fidissimos quosdam interpretes, docere diuinum numen solet. Vt enim in rebus creatis diuinæ bonitatis amplitudo, omnipotentiæ, sapientiæque splendor elucet, ita qui res hasce accurata circumspectione considerauerit, diuina gratiæ lumine mentem illustrante (cuius sola vis errorum omnium tenebras propulsare potest) in Creatoris cognitionem venire facile poterit.* Hebr. 11. Rom. 1.

Paulò pòst flagitiosè prorsus corrumpit Magistellus Andradij verba; quæ ita proponit. *Philosophi, qui ab inani Deorum multitudine abhorruerunt, vnum verò Deum mente complexi sunt, illos tu* (Quisquis sis) *illa fide Deique cognitione destitutos dices, per quam impius iustificatur, & ex qua iustus viuit.* Nunc accipe Andradij verba, & falsario Magistello imprecare, quod meretur. *Quare, qui diuini Spiritus fulgore illustrati* (en de illa notitia loquitur, quæ à spiritu sancto descendit, adeoque naturales nostras vires transcendit) *cælestibusque beneficiis aucti, in præclarum illud Philosophiæ genus incubuerunt, vt ex terrenis rebus cælestia, ex humanis diuina, ex temporalibus sempiterna, ex creatis creatoris ipsius maiestatis amplitudinem cognoscerent, ab inani illa Deorum multitudine vehementer abhorruerunt, vnicum verò DEVM, quem assidua meditatione, totisque animi viribus inquisiuerunt, & mente cogitationeq; complexi, & religiosè venerati sunt; in ipso omnes suas spes collocarunt, illi perpetuò placere studuerunt, ab illo virtutum remunerationem, officiorumq; gratiam sperarunt; illos tu Kemnici; illa fide, DEIq; cognitione destitutos dices, qua tanquam initiis, & fundamentis excellentissima iustitia excitatur?*

Hæc longè aliter tinnunt, quàm ea, quæ nobis apponit Magistellus; qui Andradio etiam crimini dat, quòd scripserit: *Humani generis per Christum redemptionem in diuina procuratione implicatè & absconditè contineri. Quare qui hanc Dei prouidentiam perspectam habebant,* inquit Andradius *simul sanè intelligebant, nihil DEVM prætermissurum, vt homines sempiterna felicitate perfruerentur, atq; ita non prorsus ignorasse, Christum Iesum crucifixum, dicendi sunt, etsi rationem, quam DEVS esset initurus, humanæ salutis curandæ compertam minimè habuissent.* Hæc Magistello

per-

perquam mira videntur: Sed ideo, quia neque Andradij, neque sua dicta intelligit: nam qui fide supernaturali credit Deum esse; & remuneratorem esse; is vtique etiam in Christum, saltem implicitè credit, cum nulla nobis è cœlo remuneratio contingat, nisi beneficio & meritis Christi Domini. Certè Iustinus Martyr in Apologia prima, palam asserit, *Christum Socrati ἀπὸ μέρους ex parte fuisse cognitum*: vndecunque hanc cognitionem acceperit; Siue ex Sibyllis; siue ex Hebræorum libris; siue aliunde; Et hoc maius quiddam est, quàm quod affirmat Andradius, cum Socrates supernaturali fide caruerit, non autem illi, de quibus disputat Andradius.

Nunc dimisso Andradio, & aliquantisper Bellarmino, Magistellus Gretserum aggreditur, quem in Panegyrico Misenico cap. 2. dicere mentitur, *omnes Ethnicos Philosophos, nemine excepto, fuisse turpissimos idololatras, impios, atheos: Et tamen tales esse Bellarmino naturaliter Christianos.* Sed hæc verba in meo libro nusquam exstant; Ea ex suo sincipite exsculpsit Nouator. Neque ex Origene à me citato colliguntur. Tantum dicit; *eos sibi fecisse Deos, & adorasse operà manuum hominũ, qui simulare possunt alium creatorem extra vniuersitatũ Deum.* Item *omnes Philosophos, qui varia dogmata,* hoc est, veritati aduersa, prodiderunt, *fuisse sibi idola*, &c. At necesse non est omnes simpliciter, nemine excepto, aut alium creatorem extra vniuersitatis Deum, introduxisse, aut ea dogmata in medium attulisse, quibus mortales à veri Dei notitia abstraherentur. Neq; hoc affirmat Origenes.

Deinde Magistellus oculos ad Bellarmini verba semper intentos habere debebat, quandoquidem simul atq; oculos aliò flectit; eorum obliuiscitur: Dicit enim,

Philoſophos naturalem cognitionem vnius Dei adeptos, fuiſſe *hac ex parte*, id eſt, quod ad hanc notitiam attinet, Quaſi naturaliter Chriſtianos. Itaque licet, omnes, nemine excepto, idola adoraſſent, & impietate idololatrica ſeſe inquinaſſent, prout à multis factum, qui Deum abs ſe cognitum non glorificarunt vt Deum, nihilominus ex parte cognitionis, quam de Deo ex rebus creatis collegerant, rectè *quaſi naturaliter Chriſtiani*, nominari potuiſſent: Sicut & illa anima apud Tertullianum *naturaliter Chriſtiana* nuncupatur, *licet inſtitutionib. prauis circumſcripta, &c. licet falſis Diis exancillata, &c.*

Carpit Magiſtellus, quæ Tom.1. de cruce lib.1. cap.49. & 52. vlt. edit. de Platone ex Clemente Alexandrino & Iuſtino Martyre recitaui. At quæ mea culpa, ſi ſectario non placent, quæ Clemens & Iuſtinus antiquiſſimi Scriptores prodiderunt? An non Euſebius de præparatione Euangelica: S. Auguſtinus in opere de ciuitate Dei, Tertullianus paſſim in ſuis libris: Origenes contra Celſum, & alij, qui olim pro veritate Chriſtianæ Religionis aduerſus Ethnicos depugnarunt, plurima notant, quæ Plato, Platonici, aliiq; Philoſophi, Poëtæ & cæteri Scriptores Ethnici de fidei noſtræ myſteriis in ſua monumenta retulerunt, ſiue ea ipſimet ex ſacris literis, ſiue ex conſuetudine cum Hebræis, ſiue ex eorum, qui has res callebant, narratione, ſiue etiam ex diuino aliquo afflatu & cæleſti ſuggeſtione acceperint, prout Sibyllas multa accepiſſe, extra dubitationem eſt.

At hac ratione Plato & alij, conſtituuntur *naturales Chriſtiani*: Reſpondeo cum Bellarmino, hac quidem ex parte, quatenus ea, quæ Chriſtianæ religionis ſunt, aliquatenus cognouerunt, dici poſſe, *quaſi naturaliter Chriſtianos.* Sed quid emolumenti hoc illis attulit? Nam

& Balaam insignem Prophetiam de Christo edidit Num. cap. 24. *Orietur Stella ex Iacob.* An ideo sanctus, pius & Deo gratus acceptusque fuit? Quanquam quod Bellarminus scribit de *quasi naturaliter Christiano*, id tantum referri debeat ad eam cognitionem, quæ ex solis naturæ viribus procedit; cuiusmodi est cognitio, *quòd sit Deus, quòd vnus, quòd bonus, æternus, corporis expers, &c.* nam si quid Plato, vel alij de filio Dei, eiusq; incarnatione futura, & de eius crucifixione, & id genus aliis cognouerunt, & libris suis intexuerunt, id non ex naturæ fontibus hauserunt, sed ex libris diuinitus reuelatis, idque mediatè vel immediatè; vel ex peculiari instinctu, quo diuinitus ad præsensionem & prædictionem supernaturaliũ mysteriorum excitati sunt. Vide Clementem in protreptico, & alios alibi. Quis enim veterum aliquid contra Ethnicos pro mysteriis nostræ fidei commentans, non attigit hoc argumentum?

Vellicat Magistellus, quòd in Inauguratione Doctorali reprehendi & refelli stultitiam Lutheri asserentis, *idem non esse verum in Theologia & Philosophia*; Hanc enim propositionem: *Verbum caro factum est*; *veram esse in Theologia; falsam, in Philosophia.* Quam fatuitatem copiosè redargui in Inauguratione Doctorali, vt & nuperrimè in Luthero Academico.

Quid Magistellus pro Luthero? Nihil, nisi hoc. *Absurdum esse, Christum & Christianismum conformem Philosophiæ & Philosophorum regulis statuere.* An vis vt tecum fabricemus nouum Christum, & Christianismum, qui sit Philosophiæ & Philosophorum decretis, hoc est, rectæ rationi difformis? Sed hoc animalis irrationalis non rationalis opus fuerit, nam licet Christus & Christianismus sint supra, non sunt tamen contra rationem

tionem atque adeo à Philosophia, quæ rectæ rationis proles est, non dissident. Sed amicè ac concorditer conspirant.

Mentitur Magistellus, me in Panegyr. Misenico pag. 71. Lutherum vocare, idololatram, *ob eam vnam caussam, quòd scripturas amet, intelligat, legat, iisq; controversias decidat.* Lector videat illam paginam Panegyrici. Nihil huius inueniet. Si Lutherum Idololatram eo loci appellassem, fecissem id non quod scripturas amet, legat, intelligat, sed quia eas deprauet, peruertat, torqueat, & ad malè sani cerebri sui Phantasmata inflectat, indeque variarum opinationum idola sibi exstruat, & ea adoret, aliisque adoranda publicè proponat: prout hæreticis in more esse asserit Origenes à me pag. 24. & 25. Panegyrici adductus.

Simile mendacium est, Lutheranos Idololatras à me dici, *quia omnia dogmata fidei ex scripturis deducant.* Nusquam hoc in toto Panegyrico inuenies. Non enim ideo præcisè idololatriæ accusari debent; Sed quia omnia dogmata fidei ex scripturis deducunt, more omnium Hæreticorum; hoc est, ineptè, distortè, cerebrosè, febriculosè; & ita, vt quod ex vesano suo capite deduxerunt, id tanquam ex scripturis deductum iactitent, & venditent, & tanquam verbum Dei amplectendum exponant, cum non sit verbum Dei, nec ex verbo Dei depromptum, sed fanatici capitis idolum & inane simulacrum.

At vide bellam huius Magistelli consecutionem. *Lutherani, qui scripturam amant, legunt, & omnia dogmata inde colligunt, sunt Idololatræ; ergo, qui scripturam non legũt, non amant, sed damnant; non sunt Idololatræ. Respõdeo, primũ argumentum istud esse simile huic. Qui est homo, est animal; ergo*

ergo qui non est homo, non est animal. Deinde dico, Antecedens non esse meum, vt ex dictis patet. Deinde concesso antecedente, negatur Consequentia. Nam licet Lutherani legendo, scrutando & iactitando scripturas, & inde vana opinionum idola procudendo, sint idololatræ; iudicio & testimonio Origenis; hoc tamen non obstat, quo minus alij, qui scripturas non legunt, nec amant, sed damnant, alia ratione sint idololatræ; nam licet falsos Deos, hoc est, variarum persuasionum monstra ex scripturis sibi non architectentur, aliunde tamen noua numina fabricandi occasionem arripere queunt; vt per se manifestũ est, & satis liquet ex Origenis à me citati sententia, qua lecta Magistellus has & similes bellissimas consecutiones texuit. *Plato non legit sacras literas; ergo non est idololatra. Aristoteles non legit scripturam; sequitur ergo quod antea.* Perinde ac si me dicente; Lutheranos fieri ebrios potu cereuisiæ; ipse inferret; Platonem, Aristotelem, similes nunquam fuisse ebrios, quia non biberunt cereuisiam Saxonicam. An nullus est potus, qui ebrietatem adferat præter cereuisiam?

Iterum nil nisi mendacia tonat. *I. Me cum Origene affirmare, omnes Philosophos fuisse idololatras.* Neque ego hoc asserui, neque Origenes. *II. Me nunc excipere Platonem.* Vbi excepi? Monstra locum Magistelle. *III. Idq; propter superficiariam Bibliorum inspectionem. IV. Vel potius propter scripturæ ignorantiam, neglectum, contemptum.* Iterum postulo. Monstra locum. Ni feceris, scin quid te maneat? Nec tamen contentus est hæc mendacia fudisse; mox Battologicè ea repetit; vt maiorem voluptatem inde capiat.

Simile commentum, Iesuitis *Christiani nomen sordere.* Item, Iesuitas, *spreto antiquo Christiani nomine, & ad*

Ethnicos, Turcas, Iudæos & Diabolos remiſſo, à Ieſu nomine voluiſſe appellari. Et tamen, vt eſt inconſtans mendaciloquentia, mox vociferatur; Ieſuitas non à *Ieſu*, ſed à Iudaico ישו (quo Iudæi ſignificent; *deleatur nomen eius*; extrita ſalutari & radicali littera ע) appellationem accepiſſe. Sed hæc omnia Hæretici Magiſtelli ſomnia ſunt: nam *Ieſuitarum* nomen vulgus nobis tribuit; non Inſtitutor noſter, non Sedes Apoſtolica; non ipſimet nobis ipſis; nec aliunde, quàm à *Ieſu* Saluatore noſtro hanc appellationem vulgus formauit; neque litteram *ain* ſeu *hain* extriuit, ſed vel maximè incluſit. Et quis tam ſtupidus eſt, qui credat, Ieſuitas malle ſortiri nomen ab illo Iudaico ישו quod Iudæi Chriſto, probri loco, tribuunt, expuncta littera *Ain*, quàm ab ישוע cum litera Ain, quod *Saluatorem* ſignificat. Lege Serarium lib. 1. in Ioſue in cap. 2. quæſt. 10.

Vide autem vertiginem Magiſtelli. Paulò antè dixerat; nos voluiſſe nominari *Ieſuitas* à nomine Ieſu. Nunc dicit nos voluiſſe *Ieſuitas* appellari ab prædicta voce Iudaica, quæ à priore tantum diſtat ſignificatu, quantum Belial à Chriſto, licet ſono vtcunque conueniat.

Iterum mentitur Magiſtellus, Bellarmino naturalem Chriſtianum eſſe, qui *ſomniat vnum Deum, & quidem in Collegio multorum Deorum.* Nunquam dixit hoc Bellarminus: ſed illum *hac quidem ex parte*, ait *quaſi naturaliter* fuiſſe Chriſtianum, qui *Deum eſſe & vnum eſſe*, viribus naturæ ex rebus creatis cognouit: Nam ſi vnum Deum agnouit; non ergo plures nec maiores nec minores admiſit: quia vnus Deus, plures non admittit; nec vt maiores; quia vno & vero Deo nihil eſt maius; nec vt minores; quia quidquid vno & vero Deo minus eſt, id Deus non eſt. De rudioribus Ethnicis dixit Bellarminus eos ſub

vno

vno maiore Deo plures minores constituisse, nō autem de illis, qui veri Dei existentiam & vnitatem ratiocinando iam cognouissent; vt sanè cognoscere poterant, teste Apostolo ad Rom. 1. & Auctore libri Sapientiæ cap. 13. *Si enim* (ethnici Philosophi) *tantum potuerunt scire, vt possent æstimare seculum: quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?*

Quærit Magistellus ex Bellarmino; *Num Iesuita sit Christianus.* Omnino; quilibet Iesuita palam profitetur. *Gratia Dei sum id quod sum*; nempe Christianus. *Hinc sequitur,* inquit Magistellus, *quemlibet Hæreticum, profanum, impium, Arianum, Iudæum, Mahometanum esse ex suum grege Suitam, vel Esaitam, vel Iesuitam, sensu Iudaico ante exposito.* Argumentum Magistelli, quantum capio, est istud: *Iesuita est Christianus; ergo Mahometani, &c. sunt Iesuitæ. cũ Mahometani Deum vnum agnoscentes sint Christiani ex sententia Bellarmini,* quod perinde est; ac si diceret: *Homo est animal: ergo mulus cum sit animal, est homo.* Vel; Monachus Cappucinus est Christianus: Ergo Lutheranus iste Magistellus, cum sit, aut saltem dici velit Christianus; est Monachus Cappucinus. Vel, Iesuita est Christianus: ergo Zephyrius iste est Iesuita, quia est Christianus. En præclaras Magistelli huius consecutiones. Quanquam, vt iam sæpe monui, qui vnum Deum naturaliter cognoscunt, veræ & supernaturalis fidei exsortes, Christiani sunt nō nisi impropriè & latè, hac quidem ex parte, quatenus verum Deum, quem Christiani colunt, existere, & vnum esse intelligunt; & sic *quasi naturaliter* Christiani sunt. Obserua tandem Magistelle illud Quasi: &, Ea ex parte. At Iesuitæ & alij fideles, gratia Dei, fide & supernaturali spiritus vnctione Christiani sunt; ideo ingenti discrimine ab illis, qui Quasi naturaliter Christiani sunt,

 disiun-

difiunguntur. Si Bellarminus dixiſſet: *Hominem pictum eſſe quaſi hominem, & ea ex parte qua hominem repræſentat:* iſte ſtatim aduolaſſet, & Bellarminum hoc ariete pulſaſſet. Homo pictus eſt *quaſi homo*: ergo homo pictus abſolutè eſt homo.

Cæterum quò ſe vertet, quò fugiet Bellarminus, vt ſequentis ſyllogiſmi fulmen euadat? *Naturales Chriſtiani ſunt Ethnici, Ieſuitæ ſunt tales etiam naturales Chriſtiani, quales Philoſophi, ergo Suitæ ſunt Ethnici.* O acumen ſupra omnes plumbi laminas. ſed Reſpondeo, aut accipis Maiorem particulatim, aut vniuerſim. Si illud, ſyllogiſmus claudicat; quia in *Barbara* Maiorem particularem adhibet. Si vniuerſim; negatur Maior. Nam falſum eſt omnes illos, qui *Quaſi* naturaliter Chriſtiani dici poſſunt, eo quòd naturali lumine rationis Deum eſſe & vnum eſſe, intelligant; eſſe Ethnicos; nam vt de Iudæis, Turcis, Hæreticis, nihil dicam; etiam Chriſtiani Orthodoxi & fideles ex lumine naturali Deum eſſe & vnum eſſe cognoſcere, atq; adeo ex hac parte, quaſi naturaliter Chriſtiani eſſe poſſunt. Hunc in modum Maiore per diſtinctionem declarata, conceditur Minor etiam vniuerſim ſumpta, prout à Magiſtello ſumi videtur, Demus enim vniuerſos Ieſuitas etiam naturali cognitione, Deum eſſe & vnum eſſe, cognoſcere. Quid iam de concluſione fiet? Quid niſi vt pleno ore negetur?

Sed en mirabilius adhuc ſyllogiſmi monſtrum. *Qui vnum Deum agnoſcit, more Ethnicorum, natura eſt Chriſtianus. Eſuitæ etiam eo modo ſciunt Deum eſſe vnum, quo Ethnici. Ergo Ieſuitæ ſunt Ethnici.* O Æſculapi adeſto, cum omnibus tuis medicamentis, & huic tam ægro ſyllogiſmo medicinam adhibe. Deſine Magiſtelle à ſyllogiſmorum fabricatione; ſed non pares.

Eh

En aliud monſtrum. *Chriſtiani naturaliter orti, ſunt Ieſuitæ Iudaice accepti. Iudæi, Ariani, Turcæ ſunt tales Chriſtiani naturaliter orti, ergo Iudæi, Ariani, Turcæ ſunt Ieſuitæ.* Cur non addis; vt ratio ſyllogiſmi expoſcebat: *Iudaicè orti:* ne ſi aliter Ieſuitæ nomen in Maiore accipias; aliter in concluſione, ſycophantiæ arguaris? Cur Maiori non adiungis ſignum vniuerſale vel particulare? Nam ſi vniuerſale ſignum adiicias; negatur Maior; omnes illos qui naturali via, ratione & demonſtratione Deum eſſe & vnum eſſe norunt; *eſſe Ieſuitas* Iudaicè acceptos; nam innumeri fideles & Catholici Deum eſſe ex rebus creatis intelligunt, atque adeo hac ex parte quaſi naturaliter Chriſtiani ſunt; neque tamen Ieſuitæ ſunt Iudaicè accepti; quia Ieſum Saluatorem noſtrum, nõ appellant cum Thalmudiſtis יֵשׁוּ Omiſſa vltima litera *ain.* Sed יֵשׁוּעַ & ab hoc ſalutifero nomine cum ain ſcripto & pronunciato cupiunt vocari *Ieſuitæ* prout *Ieſuita* non peculiaris inſtituti profeſſorem, ſed quemlibet ſignificare poteſt, qui in Chriſti Ieſu diſciplinam & militiam nomen ſuum dedit. Neque vllus orthodoxus cum impiis Iudæis orat: *Deleatur nomen tuum.* Sed cum Chriſtianis: *Sanctificetur nomen tuum.*

Iterum mentitur Magiſtellus, me pag. 37. panegyrici Lutheranos *Idololatris & Mahometi* ſimiles proclamare *propter vnicum ſacræ ſcripturæ amorem.* Vidi citatam paginam. Nihil, de quo iſte quiritatur, reperi. Aliud quiddam eo loci Hæreticis vitio verti: quod ſatius erit lectorem ex ipſo Panegyrico petere, quàm me hoc loco repetere.

Apponit nobis Magiſtellus bruta Lutheri verba ex Commentario ſtramentitio in cap. 22. Geneſeos; *Pontificem, Turcas, Iudæos, ſtatuere Deum veracem, iuſtum, ſapien-*

tem, bonum. Mox mentitur (saltem quod ad Pontificem & Catholicos attinet, nam de Iudæis & Turcis non laboro) eos, cum maximè hoc dicunt, maximè omnium Deum *mendacem, iniustum, insipientem* affirmare. Mendacium vel totius Oceani vndis inelnibile.

Nec melior est huius mendacij caussa; *quia Pontificij,* inquit Lutherus, *aliam notitiam de Deo non habent quàm Philosophicam aut Metaphysicam.* Falsum; nam & notitiam fidei diuinitus reuelatam & mentibus infusam habent. Sed esto; nō habeant aliam, nisi Philosophicam vel Metaphysicam. Dic, Apostata, quæ Philosophia, quæ Metaphysica docet Deum esse *mēdacem, iniustum, insipientem?* Nos nullam eiusmodi nouimus. si quæ noua in Saxonicis officinis nata est, quę nobis talem Deum effigiet, eam non moramur, quippe & Philosophiæ & Metaphysicæ appellatione indignissimam. Vbi verò dicit Aristoteles, *Deum esse ens separatū à creaturis; & intra se solummodo creaturas contemplantem?* Adeo à creaturis seiunctus non est, etiam secundum Aristotelem, vt omnes permeet ac penetret, & singulis intimè sit præsens.

Quid hæc ad nos? inquit Lutherus. *Diabolus etiam sic Deum cognoscit, & scit esse veracem.* Pulchra consequentia, *Diabolus Metaphysicè & naturaliter nouit Deum esse, & vnū esse; ergo par non est vt homines Metaphysicè & naturaliter sciant Deum esse & vnum esse.* Quasi verò notitia illa in Dæmonibus mala sit, ac repudianda, & non ex ipsis naturæ fontibus salubriter hausta. Apostolus certè Rom. 1. adeo ad Philosophos hanc cognitionem pertinere censuit, vt dicat, *eos esse inexcusabiles,* quòd cum ex rebus creatis Deum cognouissent, ipsum tamē, vt Deum, glorificare, cultuque ac reuerentia prosequi noluerint.

In

In Theologia, inquit Lutherus, *quando de agnitione Dei docetur, agnoscendus & apprehendendus est Deus, non intra se manens, sed ab extra veniens ad nos, vt videlicet statuamus, eum nobis esse Deum.* An Philosophia impedit, quò minus hoc faciamus? An non viam nobis munit & aperit, vt *ens* illud primum, omniumque entium originem diligamus, appetamus, & ad beatissimam eius vitam aspiremus?

Pergit Lutherus: *Ille prior Aristotelicus vel Philosophicus Deus Iudaeorum, Turcarum, Papistarum Deus est; nihil verò id ad nos.* Nihil ergo ad Lutheranos ille Deus, quem Apostolus ad Rom. cap. 1. asserit à Philosophis cognitum, neque tamen, vt Deum glorificatum; & ob eum neglectum Philosophos *euanuisse in cogitationibus suis.* Hic Deus sine dubio alius non est, quàm is, qui fecit cælum & terram; nam ex rebus creatis alius non colligitur Deus, quàm is, qui omnium rerum conditarum effector est. Nihilne igitur hic Deus ad Lutherum? Nihilne ad Lutheranos? Miseros Lutherum & Lutheranos, si nihil ad illos ille Deus, cuius *esse & vnitas* ex creaturis sub aspectum cadentibus cognoscitur; quem ratio, quem rationis soboles Philosophia & Metaphysica, ex rerum visibilium contemplatione ostendit. Nihilne ad Lutherum Deus ille, qui est primum ens; prima rerũ omnium caussa; primus motor, supremum omnis perfectionis exemplar? An alium monstrat Theologia, quàm istum? etsi perfectius, & secundum plures proprietates, quæ Metaphysicæ, scientiæ naturalis limites longè transcendunt.

Cætera, quæ Magistellus vsque ad sectionem secundam sui *speculi* vociferatur, nil aliud sunt, quàm Battolo-

gicæ & Tautologicæ debacchationes, in quibus nulla mica ſalis; quia omnia ſtultitia & furore redundant.

Ait, hanc ſuam propoſitionem; omnes Iudæi, Ariani, Mahometani ſunt Ieſuitæ, *eſſe in materia neceſſaria*; ac proinde conuerti ſimpliciter. *Omnes Ieſuitæ ſunt Iudæi, Mahometani, Ariani.* Quis verò irrationali huic ratiocinatori concedet, omnes propoſitiones in materia neceſſaria conuerti ſimpliciter? Hæc certè; omnis homo eſt animal: neceſſaria eſt; & in materia neceſſaria; & tamen ſi ſimpliciter conuertere velis; quid niſi falſa hæc enunciatio exiſtet? *Omne animal eſt homo.* Deinde, quis tam fungus fuerit, vt illam; *omnes Iudæi, &c. ſunt Ieſuitæ*; concedat eſſe neceſſariam? ſupra accipiebat *Ieſuitæ* nomen prout ab Iudaico ישו deriuatur; Hic accipit illud prout à *Ieſu* ſaluatore noſtro deſcendit, & peculiaris inſtituti profeſſorem ſignificat, quocirca tam *conuertens*, quam *conuerſa* ſimpliciter falſa, ſycophantica & calumnioſa eſt, effuſa ab illo, qui præ temulentia nil aliud nouit, quàm inſanire, & Mænadis inſtar bacchari. Poſtea ex vniuerſali facit enunciationem particularem: *Quidam Ieſuitæ ſunt Iudæi, Ariani, Mahometani*: & de *indiuiduo vago* inſcitiſſimè garrire ingreditur; ita vt ex omnibus blateronibus & nugatoribus vix nugaciorem inueniri arbitrer.

***



Refel-

Refelluntur ea, quæ Lutheranus Magistellus in secunda, tertia, quarta & quinta speculi sui sectione Battologicè detonat.

PRINCIPIO Agrippam Regem de quo Act. 25 & 26. Ethnicum imperitè facit, cum certò constet, fuisse Iudæum. Hic acri & accurata disputatione S. Pauli commotus, his verbis S. Paulum compellauit: *In modico suades me Christianum fieri.* Magistellus vociferatur; Agrippam, si Bellarmini discipulus fuisset; dicturum fuisse: *Non modica ex parte mihi persuades, vt fiam Christianus, sed iam sum, cum omnibus Ethnicis, ante multa, mi Paule, sacula: Maiores mei Ethnici,* (Iudæus fuit Agrippa, non Ethnicus, & ex parentibus proximis Iudaismo initiatis progenitus) *Deum vnum nouerunt, eum coluerunt, non secus ac tu.* Paulum quoque hoc responsum dare debuisse fingit: *Non opus est, me optare à Deo, te, Agrippa, fieri Christianum, non à Deo, inquam, quia ab homine iam dudum acceptum & expensum habes naturalem Christianismum. Non opus est voto, quo precer, vt talis, Agrippa, sis, qualis ego sum, quia iam ante talis es.*

Ego verò de duobus non dubito; quorum alterum est hoc: S. Paulum si has phlyarias & calumnias legeret, eum palam pronunciaturum, indignas esse homine sano, dignissimas insano; quem stygia sua aura afflauerit ille, qui à Calumniando Calumniatoris nomen sortitus est. Vbi enim vnquā dixit aut scripsit Bellarminus eum, qui Deum esse, & vnum esse naturaliter cognoscit, & ex hac quidem parte *quasi naturaliter Christianus* est, Christianum perfectum, absolutum & propriè dictum esse,

qualis erat Paulus coram Agrippa dissertans? Quis nescit illam naturalem existentiæ & vnitatis Dei cognitionem, esse duntaxat remotissimum quoddam Christianismi initiamentum, per se nullo modo sufficiens, vt quis propriè hoc tam augustum nomen mereatur?

Alterum, de quo non dubito, est istud; si ita Agrippa Paulum compellasset, vt ineptus iste Choragus in suo immensarum ineptiarum theatro comminiscitur; Paulum responsurum fuisse; non sufficere, ad Christianismi decus & laudem, vt quis vnũ Deum naturaliter cognoscat; sed opus esse, vt altius exsurgat, Deumque fide super naturali, etiam secundum illa, quæ natura non ostẽdit, apprehendat, eumque colat, veneretur, glorificet; & super omnia diligat; & ad illum, tanquam ad vltimum suum finem, indefesse tędat. Vt enim in Epistola ad Romanos cap. 1. agens de Philosophis, qui vnius Dei cognitionem adepti, & hac quidem ex parte *quasi naturaliter Christiani fuerant*; plus ab illis exigit; quàm hanc solam notitiam; neq; dixit; *eos aquè ac seipsum esse vel fuisse Christianos*: ita etiam longè plus ab Agrippa efflagitasset, neque in hoc eius quasi naturali Christianismo, ob vnius Dei notitiam, conquieuisset.

Sed en subtile Magistelli acumen. Festus Præses, Ethnicus, audiens Paulum de cælestibus mysteriis acerrimè disserentem, exclamauit: *Insanis, Paule, multa littera te ad insaniam conuertunt*: *ergo ratio naturalis, etiam optimè exculta non potest capere mysteria fidei, sed ea stultitia accusat*. Respondeo primò, naturalem notitiam vnius Dei non esse mysterium fidei; quia viribus & lumine naturę comparari potest. Secundò, nego eam Festi vocem fuisse rationis. Temeritatis fuit, & insciriæ. Tertiò, quando quis mysteria fidei sibi verè proposita & satis explicata reiicit,

cit, nego reiectionem illam esse rationis; nam ratio nihil repudiat, nisi quod est contra rationem; at mysteria fidei non sunt contra rationem, quamuis sint supra. Hinc si quis ea repudiet, id non fit ex ratione, sed ex imbecillitate & caligine, qua humana ratio detinetur ac circumfunditur. Ratio enim in se, & per se ex natura sua ad verum inclinat, & ad illud, tanquam sibi conforme propendet, & à falso, tanquam à sibi noxio, naturalem auersionem habet.

Mentitur iterum, Bellarminũ affirmare, *Philosophos non renatos, hoc est, fidei luce non collustratos, literis tamen egregiè excultos, scientiam naturalem ac mysticam articulorum sic faberrimè composuisse, vt naturà sua sint ψυχικοὶ Christiani.* Bellarminus loquitur tantum de vno capite, quod est, *Deum esse, & vnum esse*; Ex parte huius cognitionis dicit, Philosophos, *quasi naturaliter, Christianos* fuisse; non ait ψυχικοὺς, id est, *animales*, quod tu ingeris, vt obiicere possis illud Apostoli, ψυχικὸς, id est, *animalis*, non *percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, 1. Corinth. 2. Sed nosse debet Magistellus, hæc duo: *Deum esse, & vnum esse*; non esse ex illis, quibus cognoscendis peculiari spiritus diuini auxilio opus sit: quia naturæ viribus ex rerum creatarum consideratione intelligi queunt.

Stultescit deinceps Magistellus de illo Agrippæ, *In modico*: quæritque, quid significet istud, *in modico*. Græcè, ἐν ὀλίγῳ, quasi id obscurum sit; cum nil aliud voluerit Agrippa; quàm parũ abesse, quin sibi Christianismus persuaderetur: & addit hæreticus hoc mendacium, *bonam illam motionem, qua cor Agrippa tactum fuerit; illam itidem, qua* Act. 24. *disputante Paulo de iustitia & castitate & de iudicio futuro, tremefactus est Felix*, iudicio Bellarmini, *ab impulsu naturæ prodiisse*. Quo nihil vanius & falsius. Mox

adiungit hanc calumniam: modum loquendi Bellarminianum: ſimilem eſſe huic; ſi quis diceret: *quando in tenebris incipit illuminatio, ita vt lux illas diſpellat: Tenebræ ex ea parte, qua naturaliter ſunt tenebræ, ſunt lux. Riſu dignus eſſet, qui ita loqueretur.* (Et tu multo magis, qui tam horrifice ſycophantaris & calumniaris.) *Quare etiam ſcutica dignus eſt Ieſuita* (Hæreticus Magiſtellus) *ita loquens*: *Ethnici*, id eſt, *tenebræ, ſunt ex parte naturaliter Chriſtiani*, id eſt, *lux in Domino.* Dic, Magiſtelle, vbi hac locutione vſus eſt Bellarminus? Cedo locum: aut tua ſcutica in tergum tuum expetet. Nam Bellarminus non locutus eſt de omnibus Ethnicis; ſed de Philoſophis, qui ex rebus creatis exiſtẽtiam & vnitatem Dei cognouerunt: licet enim hæc ab omnibus ratione vtentibus cognoſci poſſit; non tamen ab omnibus reipſa cognoſcitur; cum non omnes eam adhibeant attentionem & diligentiam, quæ ad hanc notitiam hauriendam requiritur; occupati vel potius deprauati & excæcati prauis cupidinibus, & voluptatum illecebris irretiti, quorum laqueis conſtricti, nõ tollunt ſeſe in altum, eumque, in *quo viuimus mouemur & ſumus*; & cuius itidem genus ſumus, non inueniunt, cum, vt ait Apoſtolus Act. 17. *non ſit longè ab vnoquoq; noſtrum.*

Deinde Bellarminus Tertullianum & Iuſtinum ſecutus dixit; Philoſophos Ethnicos ea ex parte, qua vnũ Deum cognouerunt, fuiſſe *quaſi naturaliter Chriſtianos*; hoc eſt, hac ex parte, quatenus vnum Deum cognouerunt, non fuiſſe Ethnicos, hoc eſt, *tenebras*; ſed quaſi naturaliter Chriſtianos, hoc eſt, *lucem naturalem*, quæ aliquantulam cum luce veri Chriſtianiſmi ſimilitudinem habeat. Hiccine loquẽdi modus cum ſtolido illo, quem tu fingis, concinit? Hęccine Bellarminiana locutio idem ſignificat, quod tua criminatio?

Oggrun-

Oggrunnis, *Ethnicos Philosophos coluisse idola*: Num omnes, nullo excepto? Hoc neque Apostolus, neque vllus sanctorum Patrum; neque Bellarminus asseruit: neque ego. Deinde licet idola coluerint; an ideo vnum & verum Deum non agnouerunt, aut agnoscere non potuerunt? An apud eos non habebat locum illud? *Video meliora proboque, Deteriora sequor.* An formidine alicuius periculi; vel, vt cum vulgo & receptis moribus se conformarent; nil contra scientiam & conscientiam suam agere poterant? An non ipsemet Apostolus testatur, eos in vnius & veri Dei cognitionem venisse, nec tamen Deum, vt par erat, coluisse?

Nunc accingit se Magistellus ad euersionem illarum vocularum, quibus Bellarminus vtitur: ea ex parte; probatque acutissimè *partialem Christianismum* non esse admittendum; idque ex verbis S. Petri ad Simonem Magum Act. 8. v. 21. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Ergo falsum est, quod Bellarminus asserit; Philosophos Ethnicos, qui vnum & verum Deum agnouerunt ea ex parte fuisse, quasi naturaliter Christianos:* Probatur consequẽtia. *Quia Apostolus Petrus dixit: Simoni Mago neq; partem, neq; sortem esse in sermone isto, hoc est, in gratia dandi sanctum Spiritum per mannum impositionem, vt dabant Apostoli.* Quis non miretur acumen huius Magistelli, præsertim cum Bellarminus non dixerit; Philosophos, qui Deum cognouerunt, *quasi naturaliter ex parte fuisse Christianos*; sed; ea ex parte, hoc est, quatenus, & in quantum cognouerunt vnum Deum; *fuisse quasi naturaliter Christianos.* Multum autem hæc duo differunt; sed Magistellus miscuit, alioqui calumniandi occasio præteruolasset; neque suum *partialem Christianismum* procudere & exagitare potuisset: neque enim Bellarminum ferit, sed somnia sua; quã-

do affirmat, & mox magno furore confutat; *Ethnicos fuisse ex parte Christianos*: nam Bellarminus hoc nunquam asseruit.

Verba Lutheri, Kemnicij, & Winckelmanni, quibus hic chartas imples, tanti pendimus, quāti tua: quia bruti non hominis est, dicere; *Rationem ad fidei mysteria percipienda nihil conferre; vires hominis naturales in hominis conuersione, nihil ac ne modiculum quidem agere.* Philosophiam ad fidem viam sternere, Clemens Alexandrinus verissimè scripsit; ergo & naturalis cognitio vnius veri Dei, multum subsidij ad amplectendam fidem confert. Quis enim non videt, ad veram religionem non parum conducere, si quis inanium Deorum multitudinem ex suo pectore remouerit; & in eo vnius Dei veri notitiam plātauerit?

Vt autem Magistelli huius insipientiam omnes intelligāt, prolixam recitat Frācisci Suaretzij ex Metaphysicis Tomis Disputationem de duplici habituum augmento; altero, intensiuo; altero, extensiuo: & post recitationem; optionem dat Bellarmino, *vt eligat augmentum fidei vel intensiuum, vel extensiuum.* Nil opus dare optionem, omnes norunt, præter ignorantes Magistellos, vt fidem supernaturalem; sic & scientiam seu cognitionem naturalem intensiuè, & extensiuè augeri posse. Nec tu aliquid contrà adfers; sed omnem operam ponis in mendaciis concinnandis.

Mend. I. Bellarminum scripsisse; *ex parte quempiam posse esse naturaliter Christianum:* Non scripsit hoc Bellarminus, vt iam crebrò monui, sed ait: Philosophos ea ex parte, qua naturaliter Deum cognouerunt, *quasi naturaliter Christianos* fuisse. Quod longè aliter tinnit.

Mend.

Mend. II. Bellarminũ dicere; *cognitionẽ vnius Dei, quæ ex verbo Dei hauritur, maiorẽ esse, q̃ illã, quæ ex creaturis sumitur*; (& hoc quidem verum est, sed falsum, quod sequitur) *& illa ad hanc accedente, fieri augmẽtum intensiuè & extensiuè, & nasciq́; ex vtra vnum habitum, philosophicum, naturalem, infusum, & spiritualem:* Nihil horum vspiam Bellarminus; quia somnia sunt & deliria; nam habitus diuersi specie, qualis est habitus naturalis scientiæ; & habitus fidei supernaturalis, non augent se mutuò; neque intensione, neque extensione; neque magis fieri potest, vt in vnum habitum coalescant, quàm fieri potest, vt lignum & ferrum vna eademque res euadant. Quocirca insanis clamoribus accense, quidquid iste de *primo naturali gradu, deq́; superueniente secundo, & de monstro bicipite, & de Iano bifronte*; Bacchicum in morem boat.

III. Mend. Bellarminum fassum esse, Ethnicos, *etiam sapientissimos, Deum vnum agnouisse; habentem ad latera, totum collegium minorum Deorum.* Nuspiam hoc scripsit Bellarminus: nam quicunque Deum verum & vnum agnouerunt; vt agnouerunt multi ex Philosophis, ij minores Deos nullos agnouerunt, quia cum vno vero Deo minores Dij non subsistunt, vt nec vera cognitio vnius veri Dei cum cognitione plurium minorum Deorum: nam quicunq; verè intelligit vnitatem Dei; is simul etiam verè intelligit, nullum alium extra illum vnum, esse verum Deum.

IV. Mend. Bellarminum concessurum, *Deum naturalium Christianorum sic esse vnum, vt magis & minus recipiat, &* Minoritas *in vna essentia, quasi diuina habeat.* Nemo hoc vnquam concedet, nisi qui cum Magistello nostro Phreneticus Calumniator esse velit. Nam in primis, Christianos naturales nullos agnoscit Bellarminus pro-

priè

priè loquendo. nam Christianus absolutè & per se loquendo, est vocabulum gratiæ, non naturæ: secundo Deus ille vnus & verus, quem Philosophi ex rerum creatarum accurata contemplatione inuenerunt, immutabilis est & infinitus; nullius ergo accessionis vel decessionis capax: neque secum vllos alios seu maiores, seu minores Deos patitur; quia ipse solus verus Deus est; & gloriam suam non dat alteri.

V. Mend. Bellarminum docere, *habitum fidei extendi etiam ad somnia rationis non renatæ, ad Deum aliquem, minorum collegium & examen habentem.* Nihil horum in omnibus Bellarmini Tomis inuenies: quia sunt huius Magistelli inanissima deliria. Fides, ad sua obiecta non extenditur, nisi quatenus sunt duinitus reuelata. Itaque licet ad ea, quæ naturaliter cognosci possunt, etiam extendatur, vt Deum esse vnum, bonum, æternum, immutabilem, &c. non tamen ad ista extenditur, vt naturaliter cognoscibilia; sed vt diuinitus reuelata: sicut & habitus Metaphysicæ ea non attingit, vt per diuinam reuelationem patefacta sunt, sed vt discursu luminis naturalis innotescunt.

Nunc iterũ ex Soaretzio exscribit Magistellus, quomodo augmentum intensiuum fiat; quomodo partes huius augmenti vniantur ac copulentur; neque video, quonam alio consilio hæc ex præstantissimi Theologi libris sublegerit, quàm vt chartas inferciret, & grande *speculum* suæ stultitiæ conficeret.

Post recitata Soaretzij verba, fatuè contendit, *fidem non posse augeri extensiuè.* Ergóne fides extensiuè non augetur, cum quis id, quod antea inuolutè tantum & implicitè credebat, nunc credit euolutè, explicatè & formaliter? An quiuis Christianus statim omnes fidei articulos

culos nouit? An non plerunque à quorundam cognitione progreditur ad cognitionem aliorum? Quid, quæso, aliud eſt, habitum augeri *extenſiue*, quàm actum eius explicitè nũc tendere & terminari ad obiectum, in quod antea non niſi implicite & virtualiter ferebatur?

Fidem implicitam vocat Magiſtellus *fumoſam*; idque ex Luthero: Non renuo Epithetum, ſi de fide Luthera-na ſermo ſit, quia non modò *fumoſa*, ſed & valdè *fuliginoſa* eſt. Ait, *fidem rationis γρύμματι in fumos reſoluere*. Hinc fortè tam fumoſa eſt, quàm caminorũ expurgator: Nam tractatio fumi, fumum allinit. Vera fides non eſt contra rationem, vt iſti deſipiunt; ſed ſupra. Quapropter veræ & rectæ rationis actibus & dictatis non aduerſatur; multo minus ea diſpellit.

Ait, *fidem ſecum non pati monſtroſas imaginationes de Deo Ariſtotelico & Metaphyſico*. Diſputationes de Deo, quas Ariſtoteles in Metaphyſicis inſtituit, monſtroſas eſſe, nemo, niſi monſtrum, affirmauerit. Deus Ariſtotelicus & Metaphyſicus eſt Deus vnus, verus, bonus, ſapiens, infinitus, æternus: naturaliter cognoſcibilis. Num talem Deum fides excludit? Num hæretici Metaphyſicam nec docent, nec diſcunt?

Iterum mentitur Magiſtellus, cum dicit, Bellarminum, exiſtimare; *lucem ſupernaturalis fidei extenſiuè augeri per lucem naturalem ſcientiæ Phyſicæ vel Metaphyſicæ de Deo & rebus cæleſtibus*. Nemo ſanus hoc aſſerit; quia notum eſt, habitus diuerſæ ſpeciei nec intenſiuè nec extenſiuè ſe mutuo effectiuè augere.

Deteſtare & hoc mendacium. Ieſuitæ *ſtatuunt habitum Philoſophicum & Theologicum eſſe vnum quid.* Qui nam iſti tam imperiti Ieſuitæ? Item, *ſibi mutuo eſſentialiter ſubordinari.* Neque hoc quiſpiam ex numero eruditorum

affirmat, loquendo propriè de essentiali subordinatione. Aliud mendacium, & quidem Battologicum. *Habitum Philosophicum inclinare ad formanda νοήματα naturaliter de Collegio maioris Dei & minoris.* Philosophia ad vnũ duntaxat Deum, illumque optimum Maximum inclinat: quidquid ad plures Deos inclinat; id non est Philosophia, sed alogia.

Nec dissimile est hoc figmentum. *Habitum Philosophicum & Theologicum simul & semel inclinare ad spiritualia,* hoc est, *supernaturalia sensa.* Non est ita; fides ad supernaturalia & diuinitus reuelata inclinat; habitus Philosophicus, etiam cum fide coniunctus, ad naturalia solummodo obiecta. Adde & hoc immane mendacium. *Suaretz ait, infusos diuinitus & acquisitos Philosophicos habitus essentialiter subordinari, ita vt vnam fidem exadificent.* Nunquam hoc somniauit Suaretz, tantum abest vt tale deliramentum in literas retulerit: quod iste vel ex summa imperitia, vel ex summa malitia, vel ex vtraque ei imponit. Vide Disput. 46. Tom. 2. Metaph. Soaretzij, vbi tantum dicit: *Fidem de se aeque inclinare ad quamcunq; suam materiam, quia secundum eandem rationem operatur circa illam; idemq; contingere docet, vbicunq; eadem ratio obiectiua interuenerit, siue sit virtus infusa, siue acquisita.* Et paulò post: *Quando partialia obiecta sunt connexa & subordinata, nunquam potest habitus inclinare ad secundarium, quin vel simul in re, vel etiam prius ratione aut natura inclinet ad primariũ, quia hoc ex illo pendet.* Ex his Soaretzij verbis pessimè intellectis procudit ineptus Magistellus horrificum illud suum mendacium.

Seq. sectione denarrat nobis Magistellus, ex suo Luthero; *fidem esse instar puncti, non posse augeri, vel minui, vel in partes diuidi ac distrahi; sed esse totam, vbicunque est; aut si*

tota

tota non sit; non esse fidem: ac proinde Bellarminum ineptè facere, cum portionem fidei ad Ethnicos deriuat, quos quasi naturaliter Christianos appellitat, ob cognitionem vnius Dei. At hic multa & imperitè & sycophanticè effusa video. Nam primo Bellarminus, nec totã, nec partem fidei; nec partem Christianismi, nec totum Christianismum ad Ethnicos transtulit; quia assensus, quem habuerunt Philosophi de vno & vero Deo, non fuit assensus fidei, sed scientiæ Physicæ & Metaphysicæ.

Deinde Christianismum non nisi impropriè illis tribuit; ad eum ferè modum quo *Homo* & *humana forma* tribuitur, imagini hominis: nempe impropriè & analogice, quia refert aliquam similitudinem veri hominis, & est quasi homo, per artem scilicet pictoriam. Præterea, si fides, vt Magistellus affirmat, intensiuè & extensiuè augeri nequit; cur illi clamarunt? *Domine adauge nobis fidem.* Cur item Apostolus dicit, se pro Colossensibus orasse, cap. 1. *vt ambularent dignè, Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & Crescentes in scientia Dei.* Et in Corinthiis 1. Corinth. 10. laudat *crescentem fidem.* Iam & Colossenses & Corinthij fidem habebant; Et tamen vtrorunque fidem *crescere* cupit, *crescentemq;* commendat.

Neq; hinc sequitur, eum qui in fide crescit, siue intensiuè, siue extensiuè; antea non habuisse totam fidem; sed tantum *semifidem*; nec totum Christianum fuisse, sed duntaxat *semichristianum.* Nam minimus quoque fidei infusæ gradus; eiusque ad paucula duntaxat capita; (vt sunt præcipuè illa, quæ in symbolo Apostolico continentur) formalis & explicita extensio, ad totum Christianum constituendum sufficit: tametsi ista fides, iste

Christianus & *Christianismus* postea magis atque magis perfici potest, imò verò debet, iuxta illam D. Petri commonitionem 2. Petri 3. *Crescite verò in gratia & in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi.* Et huius supernaturalis cognitionis ex fide diuina proficiscentis; nihil penitus Ethnicis Philosophis Bellarminus concessit; quando eos, ob cognitionem vnius Dei *quasi naturaliter Christianos esse dixit*; Sed solam naturalem cognitionem vnius Dei eis tribuit; & quia naturalis cognitio vnius Dei affinitatem habet cum supernaturali cognitione vnius Dei, quæ est Christianismi fundamentum, ideo dixit; tales Philosophos, hac ex parte, *quasi naturaliter fuisse Christianos.* Et ita illud, *quasi* similitudinem quandam denotat.

Obiicit Magistellus. *Si hoc ita est; tunc Ethnicus Philosophus erit Christianus non aliter, ac Corydon est Rex, hoc est, Rex non Rex: Christianus non Christianus.* Pictus homo est quasi homo propter similitudinem cum vero homine: propriè homo non est; quia non est præditus anima rationali. Pari modo hic; Ethnicus cognitione naturali vnius Dei pollens, est quasi naturaliter Christianus; & tamen non est Christianus; supernaturaliter scilicet, & per fidei gratiam: quemadmodum neque tu es supernaturaliter Christianus, quia fide diuinitus infusa cares; & impropriè tantummodo Christianismum habes fide humana subnixam; & non multo magis Christianus es, ac Ethnicus, Metaphysicè & demonstratiuè vnum Deum cognoscens. Quæris quomodo Bellarminus hic vocabulum *naturaliter* vsurpet. Respondeo, vt significat cognitionem ex naturæ viribus & fontibus profectam. Quid vis amplius?

Sectio-

Sectione quarta clamitat Magistellus, etiam Diabolum *credere, imò scire; quoniam vnus est Deus*, teste S. Iacobo cap. 2. *Ergo etiam Diabolum hac ex parte, quasi naturaliter Christianum esse.* Hactenus *Christiani* & *quasi Christiani* appellatio non nisi hominibus tributa est, si tamen lubet Magistello in Dæmonem tam munificum & dapsilem esse, vt *quasi Christiani* vocabulum ad eos extendere velit; faciat, per me licet, non impedio; quia certum est eum longè melius scire, *Deum esse*, & *vnum*, *bonum*, *immutabilem*, *æternum*, *&c.* esse, quàm vllus vnquam Philosophus ex Physicis & Metaphysicis demonstrationibus sciuerit; quandoquidem in his scientiis longè est versatior, quàm vllus hominum vnquam fuerit. Adde, quod has propositiones: *Deus est; vnus est, &c.* etiam fide acquisita nouit. Hic oggerit Magistellus: *Iesuitas habere communionem cum Diabolo.* An piaculum est, cum Diabolo habere communionem, non in malitia & nequitia, per quam Diabolus factus est Diabolus; sed in eo, quod spiritui illi naturale est? An Lutherani non habent communionem cum Diabolo in ratione *Entis* & *substantiæ*? An ideo Lutherani nolunt esse *entia* & *substantiæ*; quia Cacodæmon est ens & substantia? An ideo Lutherani nolunt esse creaturæ intellectuales, ne conformentur cum Dæmone, qui & ipse est creatura rationalis? An Mathematicam, Physicam, Metaphysicam discere horrent, quia Diabolus est præstantissimus Mathematicus, Physicus, Metaphysicus? Forte etiam Christum negabunt, ne in Christi confessione videantur habere consortium cum Diabolo Christum illis verbis confitente Marci 1. *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio, qui sis, sanctus Dei.*

Prô Deum atq; hominũ fidem, clamat Magistellus: *si hoc non est sanctum & pretiosum nomen contumelia afficere*. Non magis, quàm nomen *Hominis* contumelia afficias, si illud pictæ vel sculptæ imagini tribuas; quia impropriè tantùm tribuitur: vt iam sæpe dictum. At nunc intuere sis hoc stupiditatis exemplum. *Non hoc volo notitiam naturalem, & ingeneratam esse à Diabolo inspiratam, illa enim per se considerata est veritas Dei; verum quia non renatus nomen Dei vel diuinitatem, cuius notionem habet φύσει cordi impressam, non rectè distribuit; ideo loco Dei in praxi & applicatione illius vera notionis Diabolum apprehendit*. At Apostolus Rom. 1. ait: *Philosophos per cognitionem naturalem non apprehendisse Diabolum*; sed *Deum*; quia dixit; *eos cognouisse Deum*; ergo dicit etiam, eos Deum apprehendisse; quia cognitio Dei est quædam apprehensio Dei. Idem Apostolus Act. 17. disputans coram Areopagitis; ait Deum *definiuisse statuta tempora & terminos habitationis eorum*, (hominum) *quærere Deum, si fortè attrectent eum aut inueniant*; Nõ dicit; si fortè *attrectent Diabolum*, aut *inueniant Diabolum*; sed *Deum*: ergo Deus verus per notionem illam naturalem singulorum cordibus impressam, *attrectari, inueniri* & apprehendi potest.

Nec obstat; quod cognitum Deum non glorificarunt, vt Deum; quia hoc non fuit intellectus vitium, sed voluntatis. Valuit in eorum mentibus illud supra iam commemoratum: *Video meliora proboque, deteriora sequor*. Quæso te, num apprehendit Diabolus Diabolum, quando naturali lumine sui intellectus existentiam & vnitatem Dei apprehendit?

At nunc nodos nectit Magistellus. Clamat; *Solue hunc nodum, si vir es*. Quis iste nodus? Ecce tibi. *Notitia naturali vnitatis Dei fiunt naturales Christiani, Ethnici & Diaboli:*

boli: Iesuitæ sunt etiam notitia illa naturali præditi, & sic ea ex parte naturales Christiani. ergo. Maior est Iacobi, & Bellarmini, inquit Magistellus, *Minor negari non potest*. Conclusio ergo bona, quam Magistellus non expressit; liberum, opinor, relinquens, vt ex ineptis præmissis, quilibet illis dignam conclusionem colligat. Ad syllogismum generatim respondeo illum esse informem & inuestem; bonæque figuræ & probi modi expertem, vt libenter fatebuntur, qui syllogisticas figuras & modos compertos habent. Maior, si hoc nomine digna, non est S. Iacobi aut Bellarmini; sed plasma insulsi Magistelli; & ita lubricè formata est; vt dubites num dicere velit, omnes naturaliter Christianos notitia naturali vnitatis Dei, effici Ethnicos & Diabolos: an verò, omnes Ethnicos & Diabolos notitia naturali vnitatis Dei fieri naturales Christianos. Et prior quidem sensus plane est Diabolicus: quia tantum abest, vt quis notitia naturali vnius Dei fiat Ethnicus aut Cacodæmon, vt potius ab Ethnicismo aliquantulum recedat; & ad Christianismum accedat, cuius fundamentum est professio vnius Dei, & abnegatio multorum Deorum. Neque Dæmonem hæc notitia facit; quia bona est & expetenda: Dæmon autem non fit per aliquid, quod bonum sit, sed per malum & per obstinationem in malo.

Hunc autem sensum calumniatori propositum fuisse, inde liquet, quia Iesuitas ingenti conuicio verberare voluit, asserens scilicet, illos esse *Ethnicos* & *Diabolos*; quod sanè conuicium hunc ex Orco emissum emissarium nequaquam dedecet. Hunc sensum prorsus criminator exprimere voluit: Nam si Maioris mens ista esset: Ethnici & Diaboli notitia naturali vnitatis Dei fiunt natura-

turales Christiani;tum hæc Minor subsumi deberet: *Iesuitæ sunt Ethnici,&c. Et notitia naturali vnitatis Dei præditi, ergo Iesuitæ fiunt etiam naturales Christiani.* Sed hac collectionis forma calumniandi scopum, ad quem Magistellus collineabat, non attigisset.

Verum antequam hinc abeo, non possum intermittere, quin Magistello venustatem sui syllogismi in alio prorsus gemello, tanquam in speculo demonstrem: *Ratione existendi per se fiunt Ethnici & Diaboli substantiæ; Prædicantes Lutherani sunt etiam ratione per se existendi præditi: Ergo Prædicantes Lutherani sunt Ethnici & Diaboli.* Nec Prædicans, Prædicanti, nec carbonarius carbonario tam similis est, quàm iste syllogismus tuo. Si ergo tuum dissuauiaris, oportet, vt nec hunc fratrem eius germanum, & omnes illos, qui ad similitudinē tui edolari possunt, amplectaris.

Non absimile est hoc futile Magistelli commētum. *Quicunq; habent integra naturalia, imaginem Dei integram, mentem, memoriam, voluntatem, sunt etiam Iesuitæ Ethnici, non renati; Diaboli etiam habent naturalia integra; Quid hinc sequitur?* Clamat Magistellus. Video, quid sequeretur, si maior concederetur. At si negatione expungatur, vt sanè debet; nihil prorsus sequitur; nisi hoc fortassis, ex schola VVittebergensi vix vnquam impudentiorem & insulsiorem ardelionem exstitisse. An ideo aliquis est Iesuita, Ethnicus, non renatus, quia habet *naturalia integra?* An naturalium integritas est ratio *Ethnicismi, Iesuitismi, & non regenerationis?* Si hæc delirandi ratio valet; dicam & ego similiter. *Inter illos, qui integram habent substantiæ rationem, sunt omnes Prædicantes*

cantes & Lutherani Magistelli, omnes Diaboli habent integram substantiæ rationem: ergo omnes Diaboli sunt Prædicantes, & Lutherani Magistelli. vel, si mauis; *ergo Diaboli sunt inter Prædicantes & Lutheranos Magistellos*. Quidquid vitij in hoc Syllogismo ostenderis, ego tuo monstro inesse longè facilius monstrabo.

Sectione quinta blaterat Magistellus de *relatiuis, & correlatiuis. Fieri non potest, vt quis sit Christianus sine Christo; quia Christianus & Christus sunt relatiua: sed Ethnici non habent Christum, ergo non sunt Christiani*: peritè inprimis ex *denominatiuo* & *denominante* facit Magistellus *relatiua*. Deinde nuspiam dixit Bellarminus: Ethnicos esse Christianos, quod iste ad nauseam vsque mentiendo perpetim inculcat: Sed Ethnicos, qui naturaliter Deum cognouerunt, *ex hac parte, quasi naturaliter Christianos* esse; impropriè nimirum & latiore significatu. Neque tales prorsus sunt sine cognitione Christi; nam hoc ipso, quod vnum Deum naturaliter cognoscunt; Christum quoque aliquatenus cognoscunt; quia ille vnus Deus, quem naturaliter cognoscunt, est Christus; vt & Pater, & Spiritus sanctus. Perinde delirat Magistellus; ac si diceret: Homo & hominis ratio seu definitio ad se mutuo referuntur, ergo imago hominis non debet dici homo; quia caret ratione & definitione hominis. *En hominem sine ratione & definitione hominis*. Nugator: An nullum nomen analogicè & impropriè alicui tribui potest; nisi ei etiam tribuatur ratio substantiæ seu rei, quam nomen illud propriè significat?

Ex Soarezia Metaphysica, & ex Bellarmino libro de Christo, docet Magistellus à natura diuina, *non posse abstrahi communem Deitatis rationem; hoc enim naturæ diuinæ singularissimè singulari repugnare*. Mentitur Magistellus,


Bellarminum, *contrarium facere, & communem Deitatis rationem admittere*: vbi quæso? indica, sodes, locum. At Bellarminus concedit, Deum ab Ethnicis Philosophis cognitum. At Deum verum, Deum singularem, per se & in se existentem; omnia penetrantem, &c. non abstractum; non mente fabricatum; nam si qui Philosophi communem quandam pluribus Deitatis rationem appræhendissent, non veram Deitatis, nec verum Deum, sed phantasma capitis sui apprehendissent.

IubetMagistellus, vt Bellarminus hunc Syllogismum soluat. *Ethnici sunt Idololatræ, sine certo, & vero Deo, sine Christo. Naturales Christiani Bellarminiani Iesuitici, sunt Ethnici, Ergo Christiani Iesuitici sunt Idololatræ, sine Deo, sine Christo.* Mirum, quàm ægrè iste adducatur, vt suis præmissis signa *vniuersalitatis*, vel *particularitatis* addat: nam si Maior sit vniuersalis, omnes Ethnici, etiam illi, qui vnum Deum naturaliter cognouerunt, sunt idololatræ, sine certo & vero Deo; Negatur Maior: nam quoad cognitionem, non fuerunt sine certo & vero Deo; atque adeo neque omnino sine Christo; quia certum & verum Deum cognouerunt; & quamuis multi ex illis Deum cognitum, non vt par erat, coluerint, nullum tamen planè ex Ethnicis ab Idololatria destitisse, & cognito abs se vero Deo constanter adhæsisse, repudiatis inanibus Diis, id neque Apostolus affirmat; neque vllo verisimili argumento ostendi potest. Si Maior sit particularis, Syllogismus non constabit; quia in prima Figura ex *Maiore* particulari nihil directè concluditur.

Vociferatur Magistellus, Gretserum in libro de sancta Cruce scribere; *Crucifixum Christum à Platone descriptum & cognitum.* Incusa Clementem Alexandrinum & Iustinum Martyrem, si quid hic reprehensione dignum;

dignum; nam cum iſtis duobus Autoribus Gretſerus hoc aſſeruit; Sicut & Bellarminus cum eodem Iuſtino & Tertulliano Martyre, Ethnicos Philoſophos ob naturalem cognitionem vnius Dei, *Ex hac quidem parte quaſi naturaliter* Chriſtianos fuiſſe. Vndecunque autem Plato notitiam illam de Chriſto & Crucifixione eius hauſerit; certum eſt non hauſiſſe ex creatarum rerum contemplatione, quemadmodum exiſtentia, & vnitas Dei inde colligi poteſt; nam hæc de Chriſto myſteria, ſunt ſupra naturam. Sed non mirum hæc & quædam alia huius generis Platonem attigiſſe, & inſinuaſſe, quippe, qui libros Moſaicos legerit, teſte Ariſtobulo libro primo ad Philometora Regem apud Euſebium lib. 9. de Præpar. Euangelica, cap. 3. his verbis *Legē noſtram in multis Plato ſecutus eſt. Apertè namque in multis diligenter examinaſſe ſingula videtur; Moſaica enim volumina ante Alexandrum, & ante Perſarum imperia traducta fuerant; Vnde plurima ſicut & Pythagoras Philoſophus illa accepit. Numenius autem Pythagoricus Philoſophus, apertè ſcribit, nihil aliud eſſe Platonem, quàm Moſen Attica lingua loquentem.*

Refutatio nugamentorum, quæ magiſtellus in ſexta & ſeptima ſectione effutiuit.


ROBARE contendit, Ethnicos Philoſophos verum Deum non cognouiſſe contra expreſſam D. Pauli ad Romanos cap. 1. ſententiam. Probat hoc 1. ex Bellarmino, qui Tomo ſecundo dicit, *Gentiles idola putaſſe Deos*: vel *certè in idolis creaturas pro Deo coluiſſe*. Num hoc Bellarmi-

nus de omnibus vniuersim, nemine excepto, affirmat? Num dicit; nullum ex Ethnicorum numero fuisse, qui idola non habuerit pro Deo, aut creaturis in Idolis cultum non detulerit? Nusquam hoc Bellarminus: Et quamuis dixisset; nullum fuisse, qui idola vel creaturas in idolis non coluerit; an ideo asseuerasset, nullum exstitisse, qui verum & vnum Deum agnouerit? An fieri non potest, vt quis vnum Deum cognoscat; & aliquas ob caussas, licet friuolas & vanas, Deo cognito, honorē & reuerentiam non exhibeat? An non id contigisse Apostolus disertè scribit? Postea ad testimonium dicendum producit Magistellus Lutherum, Chemnicium, Hunnium, Winckelmannum, & Gesnerum, quorum effata, imperitiæ plenissima, non magis moror quàm Magistelli huius insanas vociferationes.

Sectione septima ingenti hiatu & boatu pollicetur se ex rationibus euicturum, Ethnicos Deum verum non cognouisse. Et vt bonam spem promissi exsoluendi nobis præbeat; furiosè inuehitur in Stapletonum quem non intelligit; & cui post horrifica Maniæ tonitrua hunc in modum valedicit. *Credo Stapletonum ebrium in Martinalibus, hac scripsisse:* Certè, si quis suspicetur, tuum speculum in Martinalibus fuisse fabrefactum & in Bacchanalibus expolitum, is à vero non longè auius abibit. Forsan à Magistello rationes exspectas: frustra. Prius conuiciis depectendus est Gretserus: hoc præstito, declamatio institui debet in densissimas & fermè Ægyptiacas rationis non renatæ tenebras; quæ tantæ sunt, vt ratio non renata, ne Melanchthonicam quidem *Grammaticam*, aut *Rhetoricam*, aut *Dialecticam* capere queat.

Et vbi tandem promissæ rationes? Nullam adhuc video; nisi fortè hoc somnium pro ratione accipere velimus.

mus. *Athenienses erexerunt aram ignoto Deo; ergo nullus Philosophus agnouit vnum & verum Deum.* Pulchrè, vt & hoc. *Philosophi Ethnici non cognouerunt Deum trinum & vnum: ergo nec vnum.* Egregiè. Perge. *Philosophi Ethnici cognouerunt solummodo incertum Deum; & apprehenderunt quandam Deitatis rationem pluribus Diis communem; ergo non cognouerunt vnum & verum Deum.* Antecedens ait esse Soarezij, sed mentitur; nam hoc dicit Suarez, eum, qui rationem Deitatis vt in pluribus indiuiduis multiplicabilem, apprehendit; non veram Deitatem, sed fictitiam concipere. At non negat; Deum vnum atque adeo diuinam naturam vnam, verè ab Aristotele, & aliis intellectam & explicatam: imò Deum vnum & verum naturaliter cognitum fuisse, & cognosci posse, copiosissimè & doctissimè in suis Metaphysicis disputationibus demonstrat.

Sed en aliud Magistelli delirium. *Si quis viribus naturæ potest cognoscere Deum vnum & verum; sequitur, posse aliquem viribus naturæ implere primum præceptum Decalogi.* Negatur sequela: quia ibi non tantùm præscribitur præceptum de cognitione naturali vnius Dei; sed & de cognitione supernaturali fidei; qua Deum non modo vt vnum, sed & vt trinum, & alia mysteria, naturam longè transcendentia cognoscimus. Non examinabo autem, num Magistellus rectè dicat, primum decalogi præceptum *esse de cognitione Dei.* Legatur Gregorius de Valentia Tom. 2. Comment. Theolog. Disput. 7. Quæst. 7.

Postea disputare incipit, num falsitas sit in intellectu, Admodum scilicet tempestiuè. Recitat verba quædam Soarezij; ad cuius lectionem tam aptus est, quàm *bos ad ceroma.* Tandem vbi ex Luthero varia Luthero &

tali Magistello digna dicta depromsit, hoc spiculũ intorquet. *Non possumus quidquã ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, teste Apostolo; *ergo nemo potest ex viribus natura existentiam & vnitatem Dei cognoscere.* Respondeo; Antecedens intelligendum de actionibus gratiæ, & vitæ æternæ meritoriis; qualis non est naturalis cognitio Dei; Et ideo ab humano intellectu, quem solum naturæ lumen illustrat, exerceri posse.

Refelluntur calumniæ de Auctore peccati.



CLAMOSISSIME vociferatur Magistellus peccata Ethnicorum esse Bellarmino, *caussam Christianismi*: Et per consequens, à Bellarmino constitui *Deum peccati auctorem & amatorem.* Diu, & quidem summa cum nausea, rimatus sum, quidquid hoc loco Magistellus in chartam euomuit; Et num vel aliquid sano capite dignum compareret, sedulò dispexi: Ne micam quidem rationis & doctrinæ reperi; furoris autem & amentiæ integros modios. An non enim furor & amentia est, ita Bellarminum aggredi. *Homo non renatus, concipit Deum ex naturali dictamine, vt mẽdacem, & peccati auctorẽ; & vt collegio quodam minorum Deorum, quasi in diuinitate collegarum stipatum. Sed hoc est peccatum; Et tamen ponitur à Bellarmino fundamentum naturalis Christianismi; ergo Bellarminus constituit peccata Ethnicorum pro fundamento Christianismi.*

Hic quid primum mirer nescio. Nam & incredibilis ex his elucet malitia, incredibilis inscitia, cum pari impudentia. Nam vbi vnquam dixit, aut scripsit Bellarminus, Ethnicos Philosophos factos esse *quasi natura-*

naturaliter Christianos per dictamen de Deo, quòd sit mendax. Auctor peccati, & minorum Deorum comitatu cinctus? Dic, os immundum, vbi hoc dixit, scripsit, somniauit Bellarminus? Deum censere *mendacem, auctorem peccati, & minutioribus Diis cinctum non est dictamen naturalis rationis, sed stultitia & vesania;* nam quod contra rationem est, id non est ex ratione. Quid autem magis est contra rationem; quàm credere, Deum esse mendacem, effectoremque scelerum? Num dicere; Philosophos Ethnicos cognouisse *vnum verum Deum, bonum, infinitum, immutabilem, aeternum*, idem auribus tuis sonat; quod dicere; *Deum esse mendacem;* & *architectum peccati,* & *plurium minorum Deorum consortio circumdatum?*

At Zanckius scripsit: *Remanere adhuc in natura hominis infixam illam persuasionem serpentis: Deum non semper verum dicere:* Quid Bellarmino cum Zanckio Caluinista? Num tu Bellarminum adiges, vt eius dicta præstet? Tu monstra Bellarminum scripsisse, Philosophos Ethnicos factos esse *quasi naturaliter Christianos*, quòd sibi persuaserint, *Deum esse mendacem & peccati auctorem:* Quapropter vanissima est & hæc criminatio: *Omnis Iesuita, & in his etiam Bellarminus & Gretserus, est Philosophus; ergo omnis Iesuita concipit Deum vnũ vt peccati auctorem, amatorẽ, & procuratorẽ.* Quid est stultescere, & ex summa stultitia sycophantari & calumniari, si hoc non est? Quisquis *Deum vnum* hoc modo conciperet, & apud animum suum informaret, is vtique non Philosophus: sed fatuus & fungus foret; cum lumine naturali notum sit, Deum esse veracem & bonũ, imò omnis veritatis & bonitatis originem, ac proinde ab omni mendacio & malitia longè emotissimum.

Docet Bellarminus lib. 2. de gratia & libero arbitrio

cap-

cap. 16. reprobationem duo includere, quorum alterum ait esse negatiuum quiddam, nempe *carentiam voluntatis saluandi reprobos*, quæ carentia vocatur etiam, *Non prædestinatio*, prædestinationi contradictoriè opposita. Et huius nullam esse caussam ex parte hominum; alterum dicit esse actum positiuum, videlicet voluntatem reprobos damnandi; Et huius caussam esse ex parte hominis, præuisum peccatum, originale vel actuale vel vtrunque.

Hic vocem tollit Magistellus; vociferans; *Bellarminum cum Caluinistis arbitrari, Deum quosdam absoluto suo decreto; & sine vllo ad demerita respectu, ad damnationem æternam praeordinasse, & destinasse; Et hinc sequi, Deum esse peccati auctorem; cum qui absolutè vult efficaciter finem, hoc est, æternam alicuius damnationem, is etiam efficaciter velit & procuret media; media autem ad damnationem æternam sunt peccata.*

Cæterùm hæc Bellarmino affingere manifestissima est calumnia; cum ipse apertissimè scribat, Reprobationis adæquatè sumptæ, & vt reipsa etiam executioni mandatur, caussam ex parte hominis, esse præuisum peccatum originale, vel actuale, vel vtrunque. Num hoc Caluinistæ docent? An non cum suo Caluino palam affirmant, Deum quosdam ad æternam damnationem præordinasse absque vlla ex parte hominum caussa; tantum, quia sic voluerit; & sic ei placuerit. Et vt hoc suum absolutum decretum executioni mandet, eum corda hominum, ad flagitia inclinare & impellere. Num ita Bellarminus sentit? Sed iste vt calumniatores assolent, vnum frustum accipit, & illud exagitat, omisso altero; cum tamen hæc reprobatio *negatiua*, nihil sit aliud, quàm non prædestinatio ad vitam, seu negatio prædestinatio-

ftinationis: non autem ordinatio ad pœnam æternam; hæc enim illo altero positiuo actu perficitur; cuius ex parte hominis reperitur caussa, nempe peccatum originale vel actuale mortale, vel vtrunque. licet ex sententia quidem Bellarmini negationis illius, quæ in non prædestinatione consistit, nulla detur caussa ex parte hominis. De quo nil necesse hic disputare: aliter alij sentiunt, nominatim Gregorius de Valentia Tom. 1. Comment. Theolog. Disp. 1. Q. 22. p. 4. non procul à fine. Hoc certum & exploratum esto, sententiam Bellarmini de Reprobatione tantum distare ab opinatione Caluini, quantum cœlum à Tartaro.

Furiosè mentitur Magistellus, Bellarminum negare, *Deum esse viuum.* Probat, quia docet; *Deum velle mortem peccatorum.* At Deus in sacris litteris clamat. *Viuo ego nolo mortem peccatoris.* Si ergo vult mortẽ peccatoris, sequitur *eum non viuere; quia si mendax est in vno; etiam mendax censeri debet in altero*, cum ait; *Viuo ego.* Respondeo, Deum nolle mortem peccatoris absolutè, & quantum est in se, quia misericors est; velle autem mortem peccatoris, pręsupposito & præuiso peccato, & finali in eo perseuerantia; quia Deus iustus est: Sicut & iudex absolutè non vult mortem & suspendium hominis, vult tamen præuisis & præsuppositis furtis, rapinis, latrociniis. Iam Bellarminus non dicit Deum *absolutè & simpliciter* velle mortem peccatoris; sed præuiso peccato: Nam actus ille prior negatiuus seu in negatione prædestinationis positus, qui secundum Bellarmini sententiam pręuisionem peccati antecedit, non est condemnatio ad pœnam; sed præcisè, non prædestinatio; condemnatio enim & ordinatio ad pœnã ęternam, fit per actũ reprobationis positiuũ, qui nõ est, nisi præuiso peccato.

Multa garrit de vita Dei; & rursus Soarezium expilat; Eiusq; dicta transcribit. Admodum scilicet opportunè. Num Bellarminus Deum viuere negat? Quæ hæc est ruditas? *Bellarminus dicit: Deum velle mortem peccatoris*, præsupposito scilicet & præuiso peccato, inque eo perseuerantia finali; *ergo Bellarminus asserit; Deum non viuere.* Si dicit eum velle; quomodo dicit eum non viuere? An velle non est viuere? An actio voluntatis non est actio vitalis?

Quæris ex Bellarmino, *an Deus voluerit Iudam & Achitophelem, qui se suspenderunt, saluare.* Respondeo, voluisse, quantum in se est; quia Deus vult omnes homines saluos fieri, teste Apostolo: non voluisse, præuisis eorum sceleribus, & in iis vsq; ad mortem perseuerantia.

Cætera, quæ Magistellus vsq; ad sectionem decimam despuit, sunt aperta mendacia, manifesta conuicia, calumniæ Diabolicæ; ruditates plusquàm asininæ; vociferationes insanæ. Clamitat nescio quid de *circulo* & *quadratura* circuli, deque disputatione Pererij aduersus Zimaram, *num circuli quadratura sit possibilis*; de Triangulis, de ternario numero. Si caussam quæras; aliam non inuenies, quàm quòd sibi voluit ansam dari vocandi Bellarminum, admodum scilicet vrbanatim; *truncum quadratum.* Hoc conuicium Magistello periisset, nisi de *quadratura circuli* insulsè gannire & garrire ingressus fuisset. quemadmodum etiam tam multa de his tribus. I. *Deus* II. *Mediator Christus.* III. *Homines electi.* Nugari non licuisset nisi de *Triangulis* subtilem disputationem interposuisset. Lector legat Bellarminum lib. 2. de gratia, & lib. arbitrio cap. 3. & cap. 8. Et omnes sycophanticæ criminationes statim euanescent & vna cum illis etiam hęc. *Caussa vera reprobationis est peccatum.* Oseę 13. Perditio

tua

tua ex te, *peccatore. Caussa reprobationis referenda est ad solam Dei voluntatem, teste Bellarmino, Iesuitarum ore & promo condo. Ergo quoddam peccatum referendum ad solam Dei voluntatem. Apage te Satan. Quid ad hac Gretsere?* Duo; primum te esse ineptum ac informem Syllogistam. In qua figura, in quo modo est tuus iste Syllogismus? Secundum, te esse eximium criminatorem. Nam Bellarminus disertissimè & apertissimè docet, ex parte hominis, caussam reprobationis, prout significat voluntem Dei aliquem perpetuò damnandi; esse peccatum originale vel actuale mortale, vel vtrunque; atque adeo perditionem istam æternam proficisci ab homine peccatore non à Deo.

Sed iam maius opus mouet Magistellus: Et Bellarminum spiculis ex libro de gratia primi hominis (qui est primus in Tomo quarto controuersiarum) fabricatis, validissimè oppugnat. *A quo natura est in puris naturalibus condita, ab eodem sunt motus illi inordinati partis inferioris. Atqui natura est condita à Deo, ergo etiam ab eodem conditore dependent illi motus inordinati.* Respondeo, maiorem esse falsam, si sensus sit, vt esse debet, motus inordinatos appetitus sensitiui quatenus formaliter sunt contra rationem, eidemque aduersantur, esse à Deo, prout ab illo esset natura, si quæ in puris naturalibus condita esset: nam motus illi, sub hac ratione, sunt defectus quidam, & morbi, atque adeo priuationes rectitudinis; & tales quidem, quæ ad aliam priuationem, quæ verè peccatum est inclinent. Quocirca motus illi inordinati formaliter, vt tales, ad Deum, tanquam ad Auctorem referri nequeunt: nam concupiscentia *non est ex patre, sed ex mundo.* 1. Ioan. 2. tametsi; sicut ipse actus peccati, materialiter vt est quoddam ens, à Deo

efficitur; ita & motus illi, quatenus sunt actiones Physicæ, à Deo, vt à caussa, proficiscuntur.

Vide verò mirabiles suppetias, quas huic suo Syllogismo vel potius propositioni primæ Syllogismi Magistellus submittit. *Quidquid fuit ante lapsum in homine, illud omne in solidum fuit à Deo conditum, teste, Bellarmine, teipso. Motus illi inordinati fuerunt in Adamo ante lapsum, & ante peccatum primum inobedientiæ, ergo motus illi inordinati* (peccati rationem habentes) *conditi fuerunt à Deo.*

Hîc aduerte, lector, quàm scitè Magistellus inferat in conclusione huius secundi Syllogismi, propositionē Maiorem primi Syllogismi, quam vt probaret, hunc Syllogismum secundum construxit. Attende secundò, quàm subtiliter conclusioni per parenthesin interponat illud, *peccati rationem habentes*, quod in neutra præmissa apparebat.

Tertiò considera, quàm stultè asserat, *in Adamo ante lapsum fuisse illos motus inordinatos, à ratione auersos, atque adeo rebellionem carnis contra spiritum*: cum per iustitiam originalem appetitus sensitiuus cum omnibus suis actionibus perfectè subiectus fuerit, hæcque mutua pugna, non nisi iustitia originali amissa, exstiterit. Itaque Minor huius alterius monstrosi Syllogismi cum veritate nullo modo consonat.

Mox vbi Magistellus de *bono* nonnihil delirauit, & ex Metaphysica Soarezii periodos aliquas descripsit; noua mendacia procudere incipit, & quidem Battologica, ex quibus istud agmen ducat: Bellarminum dicere; *in homine integro peccatum ipsum fuisse inordinatos motus peccatum ipsum potentiâ, ita nimirum, vt actum secundum eorundem, iustitia originalis saltem cohibuerit.* Ne intelligenter quidem loqui potest Nouator iste, tantum

abest,

abeſt, vt doctè diſputare didicerit. Sed omiſſa inſulſitate ſermonis, nuſquā dicit Bellarminus, in homine ante lapſum *fuiſſe motus inordinatos*. Nuſquam dicit; *hos motus inordinatos in homine ante lapſum, fuiſſe peccatum potentiâ*: figmenta hæc ſunt Zephyriana, quouis vento leuiora; non aſſerta Bellarminiana: quia motus illi auerſi à ratione non fuêre in ſtatu innocentiæ, quomodo igitur erant *peccatum in potentiâ?* Fortè voluit dicere: Fuiſſe appetitum ſenſitiuum, ex quo, remota iuſtitiâ originali, inordinati motus prodire, & per conſenſum voluntatis, in verum peccatum abire poterant. Quod licet verum ſit, nil tamen ineptiam Magiſtelli iuuat: qui ex ſua imperitia & pſeudologia hunc Syllogiſmū exſtruit. *Peccatum in potentiâ eſt verè peccatum, teſte Bellarmino.* Vbi teſtatur hoc Bellarminus, ô Magiſtelle? *Motus illi partis inferioris repreſſi imagine Dei, fuerunt peccata in potentia.* Vbi hoc Bellarminus? Monſtra locum. Motus iſti ne actu quidem exiſtentes, peccata ſunt, propriè loquendo de peccatis; ſi voluntatis conſenſu careant; tantum abeſt, vt ſint peccata, quando in potentia appetitus ſenſitiui latent, neque actu ſunt eliciti, & extra cauſſam ſuam producti. *Ergo verè fuerunt peccata, & quidem à Deo inſita, indita.* Cùm falſa fuerit Maior, falſa Minor, quid niſi falſiſſima concluſio exſpectanda erat? Vbi iterum concluſioni fraudulenter voculas infercit, quæ in neutra præmiſſarum exſtant, illas nimirum; *Et quidem à Deo inſita indita.*

Ait Bellarminus: *Inclinationem ad malum non oriri ex peccato originali directè ſed indirectè, quatenus remouet prohibens*; hoc eſt, quatenus priuat iuſtitia originali, quæ faciebat, vt appetitus ſenſitiuus non inclinaret ad malum. Hinc naſcitur Magiſtello noſtro iſtud Syllogiſmi

mi monstrum. *Inclinatio ad malum in naturalibus, fuit ante peccatum originale. Inclinatio ad malum est peccatum: Ergo quoddam peccatum in homine fuit ante peccatũ originale Adami*, Respõdeo, Maiorem esse falsam, Minorẽ falsam, conclusionem falsam, totumq; Syllogismum ineptum, sine figura & modo. Quomodo inclinatio ad malum fuit in Adamo ante peccatum ab ipso patratum, (quod ab isto inscitè nominatur *peccatum originale*, cum fuerit actuale) si iustitia originalis inclinationem appetitus sensitiui ad malum compressit ac coërcuit, ita, vt ipsa præsente, nihil penitus loci haberet?

Scire cupit Magistellus, & magnis vocibus, vt explicetur, exposcit, vnde nam sit illa ataxia & inordinatio inter appetitum sensitiuum & rationem. *Aut enim est à Deo, aut à Diabolo.* Iam respondit Bellarminus, nec esse à Deo, nec à Diabolo, tanquam ab auctore; sed indirectè ex peccato originali, quod nos iustitia originali exuit; directè autem ex conditione materiæ, seu appetitus sensitiui, qui ita comparatus est; vt quando cum ratione in vno supposito coniungitur; quemadmodum fit in homine; inclinet ad bona sensibilia rectæ rationi contraria; non ex intentione conditoris; qui cuncta; quæ fecit, bona, & ad bonum propendentia fecit; sed ex ipsius appetitus sensitiui defectu, sicut cum gladius rubiginem contrahit, non habet illam à fabro, sed ex ferri conditione, quæ est, positis quibusdam circumstantiis, rubigine affici. Et quamuis tota Entitas appetitus sensitiui, & inclinatio eius ad bonum, sit à Deo, vt ab effectore; non tamen est à Deo formaliter, vt ad malum propendet; quia vt sic, non est aliqua entitas seu perfectio, sed potius perfectionis negatio. Quare ad Deum, vt ad caussam efficientem minimè referri debet, quia totum hoc ad caussam secundam deficientem spectat: Sicut de-

eat defectus, qui cernitur in claudicatione, solum refertur in tibiam claudicantem, non autem in virtutem motiuam, quia motus iste in virtutem motiuam tantùm refertur, quatenus habet aliquam entitatem, quo pacto non est ei annexus ille defectus claudicationis, quia ei tantum annectitur, quatenus procedit à tibia infirma, sub qua ratione non est hic motus à virtute motiua, sed à tibia infirma, & deficiente à recto motu; vt ad similem quandam obiectionem respondet P. Gregorius de Valentia Tom. 2. Disput. Theolog. disp. 6. Q. 9. punct. 1. Quem lege. Itaque & in proposito, inclinatio appetitus sensitiui ad bonum rectæ rationi consentaneum est à Deo, & ab appetitu sensitiuo, quia est quædã perfectio: inclinatio autem ad malum, non est à Deo, quia est imperfectio, & negatio quædam rectitudinis. Vnde ad solam caussam secundam, quæ à norma præscripta desciscere potest, referri debet. Quomodo autem sub alia ratione, nempe vt pœna peccati tam concupiscentia, quàm pronitas ad malum, à Deo esse possint, explicat Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ cap. 14.

Post horribilem in Bellarminum & Gretserum conuiciorum nimbum, denuo in mentiendi campum sese effundit; in quo ita exspaciatur, vt cogitasse videatur, neminem mortalium amplius superesse, qui mendacium à veritate, & hanc ab illo discernere queat. Quale enim hoc monstrum? *Iesuitas talem fingere naturalem Christianum, cui Deus dederit in creatione peruersam naturam, inclinantem ad mala, non secus ac lupo dedit naturam inclinantem ad animalium rapinam & morsum.* Inprimis nullum agnoscimus *naturalem Christianum*, nisi eo sensu, de quo fusè supra. II. Si Deus hominem quempiam in pu-

in puris naturalibus condidisset, natura eius fuisset bona; & ad bonum naturaliter inclinans; non mala, aut peruersa; nec ad malitiam aut peruersitatem inclinans, & tota propensio ad id, quod rationi contrarium est; vt iam in statu naturæ lapsæ; ita & tunc; non fuisset à conditore; sed ex defectu caussę secundæ à recto tramite exerrare valentis.

Quale insuper mendacij portentum, quando dicit Magistellus, Bellarminum scribere, *peccatum actuale fluere ex originali per accidens*. non dixit hoc Bellarminus de peccato actuali, sed de concupiscentia, vt voluntatis consensum anteuertit; hanc docet *per accidens natam ex peccato originali*, quia hoc spoliauit hominem iustitia originali, qua præsente, concupiscentia nullum locum habebat.

Quæris; *quæ sit caussa per se illius malæ inclinationis & concupiscentiæ.* Facilis responsio: Appetitus sensitiuus per se est caussa concupiscentiæ. Et ipsius etiam ad malum inclinationis. Quæris. *Vnde ipse appetitus?* Vtique à Deo. Infers. *ergo etiam concupiscentia formaliter vt malum quoddam est; & mala inclinatio est à Deo.* Non sequitur. Perinde ac si diceres, Tibia est à Deo, & potentia motiua est à Deo; vno verbo; totus homo est à Deo; ergo etiam claudicatio tibiæ est à Deo. Liberum arbitrium est à Deo; ergo etiam prauitas actus, qui ex libero arbitrio proficiscitur, est à Deo. Ensis est à fabro; ergo & rubigo, quam ensis, præter fabri intentionem, contrahit, à fabro erit.

Obiicit Magistellus. *Si originalis iustitia impedimentum tantummodo largita est, quo inclinatio naturalis ad malum duntaxat suppressa est; ergo prior fuit illa peccato originali, nam impediens actuale, & impeditum simul sunt.* Respondeo,

ſpondeo, inclinationem ad malum & concupiſcentiam dici compreſſam ab originali iuſtitia, non quòd exiſteret; ſed ne exiſteret, atque in actum prodiret: nec verum eſt, quod Magiſtellus ait, *impediens* & *impeditum* ſemper eſſe, hoc eſt, exiſtere ſimul. Nam ſi quis te impediat, ne ambulare poſſis; num *impedimentum* & *impeditum*, nempe ambulatio, ſimul exiſtunt? Num impediris ne ambules; & tamen ambulas? Vt ergo in hoc exemplo impeditur non id quod eſt; ſed id quod eſſet, ſi impedimentum amoueretur; ita per iuſtitiam originalem non impeditum eſt, quod erat; ſed quod fuiſſet, ſi iuſtitia originalis non obſtitiſſet. In beatis impeditur à beatitudine omnis inclinatio ad malum, omnis praua concupiſcentia, omne peccatum: num tu ex plumbeo tuo acumine inferes; inclinationem ad malum, prauam concupiſcentiam, & peccatum eſſe in Beatis, quia ex decreto cereuiſiarij tui axiomatis, *impediens & impeditum ſemper ſunt ſimul.*

Contra exemplum de rubigine ferri, quo Bellarminus vtitur lib. de gratia primi hominis cap. 5. oggerit Magiſtellus. *Etiamſi rubigo adueniat ferro præter fabri intentionem, naturam tamen & Deum ita ferrum condidiſſe, vt rubiginis ſit capax: ita & hic Deum condidiſſe naturam ſeu ſenſualitatem, quæ inclinationis ad malum & concupiſcentiæ capax eſt: Recte igitur hanc inclinationem & concupiſcentiam prauam Deo, vt auctori, adſcribi.* Reſpondeo, ſi hoc argumentum aliquid efficit, tunc Magiſtellus paratam habet viam, omnia omnino ſcelera Deo adſcribendi; quia Deus fecit eam naturam humanam, in quam furta, latrocinia, adulteria, & id genus alia crimina cadere poſſunt: omniumque capax, & vt Magiſtellus loquitur, *receptiua* eſt: Et omnia iſta ſcelera in fure, latrone, adul-

H tero,

tero, &c. insunt in hominis anima; eo modo, quo cæcitas est in oculo, surditas in auribus, &c. Si igitur malæ inclinationes & prauæ concupiscentiæ ideo Deum autorem habent; quia fecit naturam, quæ harum est capax; etiam prædictorum criminum Autor erit, quia fecit naturam, in quam omnia ista cadere possunt. Si hoc non tantum est falsum, sed & impium; cur non & prius eadem censura notaretur? Fecit Deus hominem rectum & bonum. Iam quidquid defectus vitiosi & peccaminosi superuenit, id non à Deo est; sed ab aliis caussis vt iam sæpe diximus.

Fermè effugerat oculos meos hic vel inprimis spectabilis Syllogismus. *Concupiscentia originem habet à Deo. Concupiscentia est propriè peccatum, ergo quoddam peccatum originem sumpsit à Deo.* Respondeo, Maiorem esse falsam; Minorem similiter. Ne mireris si gemina hæc falsitas conclusioni etiam affricetur. Porrò si loquatur Magistellus de concupiscentia, vt est pœna à Deo ob peccatum inflicta, non formaliter vt est propensio ad bonum sensibile rectæ rationi aduersum; tum esto Maior; sed falsa est minor, fusissimè omni argumentorum apparatu à Bellarmino profligata lib. 5. de amissione gratiæ.

Sectione tandem vndecima & vltima primi sui *exercitij* (sic enim appellat) inuehitur Magistellus in Bellarminum, quòd lib. 4. de amissione gratiæ cap. 11. dicat animas humanas non esse *ex traduce* per naturalem propagationem, sed à Deo ex nihilo creari. Obiicit. *Idem sentire Caluinistas.* Quid tum? An ideo veritatem deseremus, quia illam interdum amplectuntur Caluiniani? Num vnum Deum trinumque non credis, quia Beza, Zanckius & alij hunc articulum credunt?

Obiicit

Obiicit. *S. Augustinum non fuisse opinionis Bellarminianae.* At esset, si hodie viueret; quia communis iam est apud omnes orthodoxos. Multò verò minus est eius delirationis, quàm tu cum tuis crassioribus Lutheranis amplecteris.

Ais; *difficulter ostendi posse quomodo animæ contrahant peccatum originale, si à Deo creentur, non vnà cum corpore à parentibus generentur*; & hoc argumento Augustinum propriè absterritum fuisse à sententia illa, quæ dicit, *animas à Deo creari.* At tu, si Magister non *Magistellus* eras, referre & syncerè refellere debebas, quæ Bellarminus ad hanc difficultatem tollendam differit cap. 12. lib. 4. de amiss. gratiæ; vbi perspicuè ostendit, quomodo originale peccatum cum animarum creatione consistat. Non repeto. Liber in promptu est; inspiciatur; & clamores Magistelli mox nebulæscent.

Oggerit. *Si anima per coniunctionem cum corpore peccato originali inquinatur; sequitur, Deum esse auctorem peccati originalis, quandoquidem est Auctor illius vnionis.* Respondeo, sequelam esse nihili & nauci; non enim Deo iungit vt peccator fiat, sed vt homo fiat; nec concurrit ad id, quod est defectus, sed ad id, quod est perfectio. Nam si iste concursus ad vnionem faceret Deum auctorem peccati originalis, idem de concursu Dei ad actum furti vel latrocinij dicendum esset. At quis ita ineptit, vel potius insanit, vt hoc asserat?

Occinit Magistellus. *Materiale non posse directè agere in immateriale*, citatque Soarezium, vt planum faciat, quam tritus sit in Metaphysica doctissimi illius Theologi. *Quomodo ergo anima immaterialis in corpus demersa, ab illo impreßionem aliquam vel impetum capiet?* Hanc ruditatem tibi eximere poterat Bellarminus; qui rectè docet,

peccatum originale non transfundi ex corpore in animam, quasi ipsum corpus, in quo anima recipitur, sit peccato contaminatum, Sed eo ipso, quod anima vnitur carni, quæ ortum suum trahit ex Adamo, in quo omnes peccauerunt, priuatur originali iustitia, & sic peccato originis inficitur.

Quærit Magistellus. *Quando Deus animas hominum ex nihilo creat, & corpori immittit, in quem finem illas ex nihilo creet?* Respondeo, vt ex coniunctione animæ cum corpore homo existat, qui Deo creatori suo seruiat, Et hac seruitute tandem æternam beatitudinem adquirat.

Quæris; *Quare Deus damnat aliquas animas?* Respondeo, propter admissa peccata; nam peccata sunt caussa reprobationis & damnationis. Mentitur immaniter, Bellarminum docere; *Animas creari à Deo puras, & à peccato mundas, & postea ad consortium peccati, nimirum irritamenta corporea carnalia ablegari.* Vbi hoc Bellarminus? An non ex professo illorum sententias refellit, qui volebant animas prius existere, quàm corpora, quorum sunt formæ informantes?

Imperitissimè existimat Magistellus, *animam prius tempore existere, & quidem puram & immaculatam, quàm cum corpore vniatur*; quasi non eodem puncto seu instanti, quo creatur ex nihilo, pariter corpori vniatur, sicut & anima bruti eo ipso momento quo ex potentia materiæ educitur & producitur; cum corpore vnitur, nec prius tempore existit, quàm vniatur. Ex quo corruunt omnes inepti & insulsi clamores, quibus Magistellus hic furit ac perfurit, scire volens, *cur Deus animas immaculatas & ab omni criminis labe seiunctas in corpora peccato maculandas detrudat; & ad æternam damnationem immisericorditer destinet.* Inficeta blateramenta audis, in quibus ne guttula

tula quidem mentis. Nam anima nunquam ante corpus immaculata existit, quandoquidem nunquam ante vnionem cum corpore existit. Et si quam animam, vel potius hominem, Deus ad supplicia æterna deputat, id non fit, nisi quia præuidet fore, vt talis homo mediis ad salutem præscriptis & diuinitus concessis, non vtatur; Sed peccatis se inquinet, in iisque absque pœnitentia ex hac vita decedat.

Oggannit: *Non decere misericordiam Dei, vt animam ei corpori vniat; ex cuius vnione originale peccatum contrahat.* Respondeo, misericordiam & iustitiam Dei decere, vt rebus naturalem cursum relinquat: Naturalis autem rerum cursus hoc exposcit, vt Deus tanquam caussa vniuersalis ad rerum productiones naturales concurrat, & opem suam conferat: Si quid iam defectus interuenit, eius nulla culpa tenetur Deus; sed caussa secunda: cum enim in Adamo, omnes posteri eius peccauerint, & iustitiam originalem perdiderint, fit vt quotquot ab illo nascuntur, iustitia originali priuati atq; adeo peccato originali obstricti nascantur, non culpa conditoris, sed sua; neque enim Deus Autor fuit Adamo vt peccaret, aut posteris, vt in Adamo tanquam in communi parente suo, peccatum admitterent.

At dicat nobis Magistellus; An non concurrit etiam Deus ad vnionem animæ cum corpore secundum Lutheranos, licet, vt ipsi volunt, anima à parentibus generetur? An vlla sit naturalis generatio sine ope & actione Dei? An non concurrit Deus ad generationes Leonis, bouis, equi, vno verbo, omnium animalium, quorum animæ ex materiæ potentia educuntur? Erit ergo Deus peccati originalis auctor, & immisericorditer agit, quod caussas secundas adiuuat, vt producant animam,


quæ ſimul atque producta & carni vnita eſt, grauiſſima labe contaminatur. Ad hæc & ſimilia, quod pro ſe & ſuis Lutheranis Magiſtellus vere reſponderet, id etiam ſibi à nobis reſponſum arbitretur. Si tamen furioſus iſte Nouator ullũ reſponſum intelligenter vel dare vel accipere poteſt; cum quidquid loquitur, nil aliud ſit quàm inania & inſcitia.

Inualeſcit autem indies magis atque magis inter Lutheranos hæc de animarum traduce ac propagine ſomniatio: in qua etiam fuit olim Herbrandus, cui poëta Ingolſtadienſis hoc diſtichon honoris cauſſa accinuit:

Totus homo ex homine Herbrando producitur. Ecce
Quantos errores iſte Beanus habet.

Quod diſtichon ego itidem Magiſtello noſtro ob eandem deliram opinationem decantatum volo. Hactenus de prima parte ſpeculi, in quo Zephyrianam amentiam & ignorantiam dilucidiſſimè cuiuis inſpicere volenti ſpeculari licet.

Refutatur altera pars ſpeculi Zephyriani: cum breuicula defenſione Muricum Prædicanticorum.



INTER opuſcula, quæ cum Panegyrico Miſenico Anno Redemptoris M. D C. V I. euulgaui, eſt vnum hac inſcriptione. *Demonſtratio aduerſus ſectarios præcipuorum quorundã Eccleſiæ Catholicæ dogmatum, ex communibus* ἐννοίαις, *hoc eſt, notitiis omnium Chriſtianorum pectoribus inſculptis, & ex vulgari infima etiam plebis loquendi conſuetudine.*

Reuidi poſtea & auxi hoc opuſculum, auctumque ſeparatim publicaui Anno ſalutis M. DC. V I I I. hoc titulo:

lo: *Murices Catholicæ, & Germanicæ antiquitatis, sectariorum Prædicantium pedibus positi & sparsi*: Hoc est, *Demonstrationes quorundam orthodoxæ Ecclesiæ dogmatum ex communibus notionibus vulgatisq; sentiendi, loquendi, & agendi rationibus, & formulis desumptæ: quas nunquam euertent, nisi prius Germanicam linguam, animosq; Germanorum penitus inuertant*. Inscripsi *Murices*, quod is qui librum meum in Germanicam linguam verterat, *R.p. Conradus Vetter*, Germanicè appellasset, **Lemeisen für die Prædicanten.**

In eo opusculo ostendi ex communibus Germanici Christiani, imò & Hæretici vulgi sentiendi & loquendi formulis, varia Catholicæ Ecclesiæ dogmata, quæ hodie à Nouatoribus in controuersiam vocantur, vel penitus repudiantur: Et ne hoc absq; veterũ exemplo facere viderer, demonstraui initio, quanti communes notitias, & loquendi formulas vulgares, Philosophi, Mathematici, Medici, & aliorum facultatum Interpretes semper fecerint. Nam & Plutarchus scripsit commentarium *de communibus notionibus aduersus Stoicos*, quos probat vbiq; notiones communes euertere, ac proinde nequaquam sequendos esse. Casaubonus quoque in Notis ad quandam Epistolam Nysseni citat commentariolum eiusdem Nysseni aduersus Græcos *ex communibus notionibus*. Quanti etiam ipsemet Lutherus communes notiones fecerit, docet hæc eius oratio lib. de Captiuitate Babylonica cap. *de Ordine*. *Apud Philosophos de communibus conceptionibus nemo iudicat, sed omnes per eas iudicantur*. Postea produxi Tertullianum & Lactantium; quorum ille, præterea, quæ sparsim operibus suis inserit, proprium opusculum edidit de *Testimonio animæ*, in quo nihil aliud inest, quàm quorundam fidei Christianæ dogmatum demonstratio ex ipsis Ethnicorum communi-

muni-

munibus & naturalibus ſenſis ac dictis deſumpta. His abſolutis, ad inſtitutum acceſſi, & varia Eccleſiæ Catholicæ placita ac decreta, præcipuè de Sacramentis; ad eundem modum, ex tritiſſimis omnium ſenſu & ore loquendi, apud Germanos formulis, probare incœpi.

Quid Magiſtellus? planè, tanquam ebrius, quid aiat, neſcit. Vociferatur horribiliter; *me fundamenta Chriſtianiſmi ponere ex Galeno, ex Ariſtotele, ex Mathematicis, & aliis non renatis hominibus.* Qua de cauſſa? Quia dixi, Galenum, Ariſtotelem, alios, ſubtiliſſimas diſputationes crebrò auſpicari à communibus notionibus, & ex iis naturas rerum venari ac indagare: Patres itidem aduerſus vanitatem Ethnicorum certamen ingreſſuros, idem factitaſſe. Iure ergò & nos cum hæreticis decertaturos, inueſtigare, quid ferat communis Chriſtianorum opinio & notio. Quò tendat, Quò vergat: Quò nos ducat. Eſtne hoc Chriſtianiſmi fundamentum ex Galeno & Ariſtotele, aliiſq; Ethnicis iacere?

Mentitur, me ex vocula *Salus* ſacroſanctam Trinitatem demonſtrare voluiſſe. Non volui, criminaris; ſed tantum recenſui, quid S. Auguſtinus de hac Latina & Punica vocula, eiusque in vtraque lingua ſignificatu ſcribat; & quidem vt elegantiſſimè, ita ſuauiſſimè. Nec alia mente hæc D. Auguſtini attuli, quàm vt planum facerem, nefas non eſſe, ex communibus notionibus argumenta pro religione noſtra petere, quandoquidem idem antea tantus præſul & doctor feciſſet. Qui etiam lib. 1. cap. 24. *de peccatorum meritis & remiſſione*, non tantum ex ſacris literis, ſed & ex communi loquentium conſuetudine neceſſitatem baptiſmi & Euchariſtiæ probat. Audi pulcherrima ſummi Doctoris verba. *Optimè Punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem;*

Et Sa-

Et Sacramentum corporis Christi, nihil aliud, quàm vitam vocant: unde, nisi ex antiqua, vt æstimo, & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter baptismum, & participationem Dominicæ mensæ, non solùm non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quenquam hominum peruenire, &c. Nam quid *aliud tenent, qui baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est;* Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &c. *Quid aliud etiam, qui Sacramentum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est:* Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi.

In opere de S. Cruce Tom. 1. lib. 1. cap. 49. dicebam ex Clemente Alexādrino, Origene, S. Augustino, & aliis, Sybillis quoq; varia de Christo fuisse reuelata; Et Sibyllam Erythræam alterum Christi aduentum versibus descripsisse, quorum primæ literæ hanc sententiam effecerint ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ. Quarū dictionum si primas literas iunxeris, exibit vocula ἰχθὺς, *Piscis*, teste S. Augustino. Hîc Magistellus obstrepit; me hinc concludere velle: *ergo omnes Ethnici, quoties comederunt pisces, eosq́ ἰχθύας appellarunt, toties cognouerunt Iesum Christum, filium Dei, Saluatorem, saltem implicitè.* Quid est calumniari & sycophantari, si hoc non est? Nam nihil aliud eo loco probare institui, quàm Sibyllis quoq; aliquam Christi, & mysteriorum Christi, & inter hæc Crucis, cognitionem diuinitus concessam fuisse. Nec ideo, quia Christus ex Sibyllæ versibus ἰχθὺς nominari potest; ab omnibus, qui pisces vel viderunt, vel ederunt, Christus cognitus est, quemadmodum non ideo ab omnibus, qui agnos agnouerunt, vel manducarunt agnitus est, eò quod in scripturis appelletur Christus agnus.

Platonem λόγου mentionem facere, non dixi primo

capite Muricum. Multo minus asserui hoc vocabulum in Platone repertum, *Christiano demonstratiuum fundamentum esse.* Nullum ego hac de re verbulum; sed Magistellus id ingerit, vt calumniandi occasionem vel inuitam arripere queat. Et licet asseruissem, Platonem ex lectione sacrarum literarum, librorum Sibyllinorum, & consuetudine cum Hebræis in Ægypto aliquantulum cognouisse λόγον seu verbum Dei; an propterea piaculo quopiam me obstrinxissem? An non ipsemet fol. 52. produxisti hæc ex Platonico Timæo verba: ὁ θεὸς ἐπιστάμενος ἅμα τε καὶ δυνατὸς τὸν αὐτάρκη καὶ τελειότατον θεὸν ἐγέννα, An non Iustinus exhortatione prima ad Græcos fusè ex Platonicis monumentis demonstrat, Platonem plurima fidei nostræ mysteria in Ægypto didicisse; etiam illud quod est de Spiritu sancto; de futura Resurrectione corporum. De pœnis improborum in altera vita; de creatione mundi, & huius notæ aliis?

An non idem scribit de Orpheo & Homero, quos similiter in Ægypto vixisse, & multa de reb. nostris didicisse ait. An nõ testatur Orpheũ per αὐδὴν, (vocẽ seu verbũ) intellexisse verbũ diuinũ, secundã Trinitatis personam.

οὐρανὸν ὁρκίζω σε θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον,
αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς, τὴν φθέγξατο πρῶτον,
ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς στηρίξατο βουλαῖς.

Cælum iuro Deo à magno & sapiente creatum.
Vocem iuro Patris, primùm quam prodidit ore
Consilio ipse suo mundum cum conderet omnem.

αὐδὴν, *id est, vocem,* inquit Iustinus, hic λόγον, *id est, Verbum Dei nominat, per quod cœlum & terra, & vniuersa condita est creatura.*

Sectione secunda cum Caluinianis aliquantulum batuit, sed fatuè. Re bene gesta in Bellarminum irruit, sed

sed maniaci instar. Nam Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 6. ita scribit. *Est autem notandum, in Deo, vt etiam Aristoteles docet, idem esse intelligentem, intellectum, intellectionem, & speciem intelligibilem, exceptis tamen relationib. mutuis producentis & producti,* (quæ verba Imposturæ gratia omisit Magistellus.) *Ex quo sequitur, Verbum Dei necessariò esse idem cum Deo, id est, eiusdem numeri, substantia & natura* (quæ verba itidem Magistellus silentio inuoluit, haud bona mente) qui valde bacchatur in Bellarminũ, quòd hæc Philosophica, Deo Aristotelico & Metaphysico cõpetentia, ad Deum verũ & Christianũ trãsferat.

Num alius est Christianorum Deus, & alius, quem cognouit & asseruit Aristoteles in Metaphysica, & cum eo omnes, qui Metapysicam interpretantur? Certè prisci Patres Iustinus, Euseb. Tertull. alij, qui pro Christianis aduersus Ethnicos scripsere, non vociferati sunt: *Quid ad nos Deus Platonis, quid Deus Aristotelis, quid Deus Philosophicus, quid Deus Metaphysicus; Quid Deus Orphei; quid Homeri*; sed quæ ab istis, de vno veroq; Deo tradita sunt, cupidè acceperunt, & inde Gentilium vanitatem de multitudine Deorum fortiter & intrepidè coarguerunt: gnari vnum & eundem Deum esse, quem scriptores illi partim ex naturali lumine, partim ex lectione sacrorum librorum & Sibyllinorum, & ex consuetudine cum Hebræis; intellexerant, & quem Christiani colebant ac prædicabant.

Deinde num in Deo, quem Christiani venerantur, existimas *intelligentem; intellectum, intellectionem,* & *speciem intelligibilem* non esse vnum & idem? Num ad cætera Lutherani Euangelij monstra etiã hoc adiunges. *Deum esse compositum ex substantia & accedentibus?* Nisi fallor, hoc portentum iam parturitis, si nõdum peperistis. Etsi Alchymista Bauius, & Prædicans Hunnius id iam satis

apertè in lucem protulerunt, vt in primo Antimonio ad Bauium misso ostendi.

Mentitur Magistellus, Bellarminum ita argumentari. *Intellectio & species intelligibilis sunt in Deo Aristotelico Metaphysico idem. Verbum est ipsa Dei intellectio, ergo Verbum est idem, cum Deo Aristotelico & Metaphysico.* Nihil Bellarminus de stulta hac distinctione *Dei Aristotelici* seu *Metaphysici*, & *Dei Christiani*, quia probè scit, Deum, quem Aristoteles & Metaphysici demonstrant, alium non esse, quàm illum vnum & verum Deum, quem Christiani adorant: Et cum hoc vno & vero Deo, Verbum diuinũ, naturâ & essentiâ vnum idemq; esse, fatentur omnes illi, qui Deum vnum duntaxat in essentia, & trinum in personis profitentur.

Nec dixit Bellarminus; *Intellectio & species intelligibilis in Deo sunt idem.* Sed dixit: *sunt idem cum intelligente*: quod longè aliud est, quia fieri potest, non quidem in Deo, sed in aliis rebus; vt duo sint idem inter se; & tamen non sint idem cum subiecto. Exemplum si desideras, figuram & quantitatem accipe; quæ licet à se mutuò realiter non discriminentur, à subiecto tamen realiter differunt. Cum ergo in Deo intellectio cũ substantia, & essentia Dei idem sit, Verbum autem sit Patris intellectio; sequitur verbum idem esse cum Patre; natura videlicet & essentiâ, non relatione seu hypostasi; nam hac reipsa distinguuntur.

Quid amplius Magistelle? *Verbum est idem cum Deo Aristoteli noto*; Adde naturâ & essentiâ; *Christus est Verbum. Ergo idem est cum Deo*; naturâ scilicet & essentiâ; siue vocem *Dei* accipias essentialiter, siue notionaliter pro Patre. Nam verbum idem realiter est naturâ cum Patre: licet hypostasi ab illo distinguatur; idemq; verbum realiter idem est cũ essentia diuinâ; imò secundum essentiam suam

ſuam nihil aliud eſt, quàm illa natura diuina tribus ſuppoſitis cõmunis. Hi *Syllogiſmi*, inquit Magiſtellus, *ſunt fundamenta dogmatis Ieſuitici de diuinitate filij Dei.* Duos hoſce Syllogiſmos in Bellarmino non legiſti; præſertim priorẽ, qui totus quantus quãtus ex tuo cerebro prognatus eſt. At cedo; an non omniũ orthodoxorum de diuinitate verbi ſeu filij Dei iſtud eſt: eum eſſe Deum de Deo, lumen de lumine; naturâ & eſſentiâ vnum cùm Patre; relatione tamen & hypoſtaſi ab eo diſtinctum? An non hoc fundamentum eſt diuinitatis filij Dei, ipſum eſſe realiter illud vnum ens abſolutum & ſimpliciſſimũ, quod natura ſeu eſſentia diuina, quæ etiam in concreto *Deus* appellatur: quod ens tanquam ens entium, & ſuper omnia entia eleuatum Ariſtoteles, & alij ex Philoſophis agnouerunt? Num tu aliud fundamentum pro diuinitate filij Dei habes?

Quæ poſtea ex Luthero, Mylio, Zanckio, & id genus aliis de Ariſtotele & Ariſtotelico Deo declamitat, quisquiliæ ſunt, indignæ, quæ aſpiciantur, & longè indigniores, quibus vel vnum verbulum reponatur. Nec verum eſt, Ariſtotelem, *Deo rerũ ſingulariũ intellectionem negare.* Dixerit hoc Auerroes. At Interpretes iſto Arabe multò meliores ſecus de Ariſtotele ſentiunt: Et verſatis in lectione Ariſtotelis contrarium dilucidè liquet.

Furit Magiſtellus in Fonſecam qui in lib. 5. Metaphyſicæ cap. 8. Q. 7. dicit iſtas propoſitiones: *Filius Dei eſt homo: Verbum diuinum eſt homo, Deus eſt homo*; *eſſe contingentes*; cum ante incarnationem, & in triduo mortis Chriſti falſę fuerint, alias autem veræ. Hîc Magiſtellus. *ô ſcelus, ô labes, ô tempora, ô mores. Haccine eſt Ieſuitica pietas? Haccine Metaphyſica & Theologia reuelata identitas?* Ne ſæui, mi Magiſtelle, ſcis quid ſit *propoſitio contingens?* An non illa; quæ vera & falſa eſſe poteſt? Dic, an hæc enunciatio: *verbum*

bum diuinum est homo: ita vera est; vt falsa esse non possit? Quomodo igitur factum est, vt ante Incarnationẽ, & in triduo mortis Christi vera non fuerit: neq; enim eo tẽpore verum erat affirmare, *Verbum diuinum esse hominem*. Num tu vis illas propositiones esse necessarias? At nunquam hoc velles, si quid sit propositio necessaria, scires. Est enim illa, *quæ ita est vera: vt falsa esse non possit*. Num eiusmodi sunt prædictæ enunciationes? sed rudis Magistellus ita cogitare videtur: *Propositiones illæ sunt contingentes: ergo accidentales*. Pulchrè, Quasi nexus substãtialis nequeat esse contingens. Hæc propositio: *Animal est rationale*: est contingens: non tamen accidentalis. Ita & in proposito. *filius Dei est homo*; propositio contingens est: Substantialis tamen, quia inter verbum diuinum & humanam naturam intercedit vnio substantialis.

Sectione tertia mentitur Magistellus, *me demonstrare mysteria de Dei vnitate, Trinitate, bonitate, Resurrectione carnis ex principiis rationis, ex notionib. naturalib. Ethnicorum, &c*. Non ego id feci; sed à patribus Tertulliano, Lactantio & aliis id factũ esse dixi. Illos culpa, si quid in hoc facto dignum culpa. Mihi nil aliud propositum fuit, quàm ex modis loquẽdi plebis tã orthodoxæ, quàm hæreticæ dogmata quædã à vobis repudiata, asserere, & ne id inusitato exemplo facere viderer; ostendi, Patres aduersus Ethnicorum impietatem differentes, idem fecisse, quod ego facturus eram cum Hæreticis in arenam descendens, vt iam suprà dixi.

Longè adhuc maior calumnia & Pseudologia est, *me ex tenebricosa, cæca & deprauata rationis notionibus quæ nihil aliud sint, quàm tenebræ, tanquam ex fundo & fundamento exstruere structuram fidei, gratiæ, renouationis, &c*. Nihil nisi mendacia *Zephyriana*, vel potius *Borealia* audio. Nam

de

de Ethnicis ego nihil egi; sed de Christianis tã verè, quã piètè sic nominatis, tametsi quid Patres ex Gentilium locutionibus collegerint indicaui. Et vbi capite 1. Euangelij Iohannis, vt tu citas, scriptum est, *communes rationis ἐννοίας & notiones esse tenebras?*

Elogia, quæ rationi tribuis, forsan in Lutheranam *Rationem* quadrauerint: in naturalem certè, & ab hæretico fermento liberam non quadrant. Non absimile mendacium est, hanc collectionem esse meam. *Vox, Salus, linguâ Punicâ significat tria; ergo Deus est trinus & vnus*, additque aliud figmentum: me dicere, hanc *demonstrationem esse rusticariorum*. De vocabulo Punico & Latino *Salus*, nihil ex meo sensu attuli; sed id quod sanctus Augustinus scriptum reliquit, verbis ipsius S. Augustini recitaui. Si palato tuo non placent, quæ S. Augustinus pulcherimè disputat, id forsã ideo fit, quod porco quiduis charius sit, quàm amaracus. Mox iterum nobis contemplandam offert rationem *hominis non renati*, hoc est, vt ego interpretor, Lutherani. *Ratio hominis* non renati, inquit, *talis bestia est, quæ omni conatu repugnat, reclamat, retundit, retorquet, remouet vincula, quibus erat constringenda: vt mysteriis se subiiceret, & eorum veritati calculum adiiceret*: Scilicet, quod improbitas & vesania facit, id rationi adscribitur. Si ratio, est *bestia*, homo igitur ante regenerationem non erit homo; quia homo non est, nisi per rationem.

Postea redit ad Deum Aristotelicum & Metaphysicum, quem, vt pro suo agnoscat, adduci nequit. At desinat huic Deo molestus esse. Itinere Lutherano ad eum nunquam perueniet; Etsi quem alium vnum Deum sperat; eum nunquam inueniet: quia non est nisi vnus verus Deus, quem, vt vnus est, agnouit Aristoteles.

Se-

Sectione quarta clamitat Magistellus, nihil caussæ esse, cur exemplo Tertulliani & Iustini meum institutũ tueri velim. *Tertullianum fuisse Montanistã: alios patres, fuisse nimios in Philosophicis disciplinis aduersos Ethnicos vrgendis & inculcandis*; Vtq; hoc eo libentius nobis persuaderi sinamus, testem laudat Kemnicium. Respondeo, licet Tertullianus ad Montani castra transfugerit, non pauca tamen edidit, cum adhuc inter Catholicos stipendia faceret: Ex quibus testimonia protuli. Deinde cùm Tertullianus fuerit non tantum omnib. Magistellis, sed & vniuersis Lutheranis Doctorib. longè eruditior & acutior, longè melius cernere potuit, etiam post miserabilem suam ruinam, quibus armis contra Ethnicos vtendum esset; nempe propriâ eorum literaturâ; quod insigniter præstitit in Apologetico; & communibus notionibus vulgi, quod fecit in libello de Testimonio animæ, & alibi sparsim, prout vel contra Ethnicos, vel contra Hæreticos sese offerebat occasio. Idem fecerunt alii Patres, Iustinus, Euseb. Clemens Alexandrinus, Tatianus, Athenagoras, S. Augustinus, Origenes, quos, absit, vt propter Kemnicianas criminationes, perperam egisse arbitremur. Tota antiquitas secus iudicat: & Kemnicium calumniæ condemnat.

Sectione quinta opponit mihi Magistellus Bellarminum. Quid ergo iste? Ex Tertulliani Apologetico refert; Deos gentilium plura pati, dum fiunt ab artificib. quàm patiantur Christiani, dum occidũtur. Cyprianus item & alij testantur, Ethnicos ligna pro Diis coluisse. Laudat etiam Bellarminus Tertullianũ, *Philosophos, Hæreticorũ Patriarchas* vocitantẽ. Quid infers Magistelle? Ergo, *iudicio Bellarmini falsum est, à Tertulliano asseri quosdã Ethnicos vnũ Deum cognouisse: Et hoc Tertullianum ex monumentis Ethnicorum*

eorum demonstrare. Falsum item Tertullianum ex communibus loquendi formulis gentilium vnitatem Dei ostendere. Et quod de Tertulliano dicitur, de aliis quoque Patribus intellectum cupit Magistellus: *Ergo Bellarminus Gretsero contrarium affirmanti aduersatur.* O plaustra nugarum. In medio est Tertullianus. In medio sunt & aliorum libri. Legantur: Et verborum præstigiæ euanescent. Nil Bellarminus in Contrarium. Somnia sunt, quæcunque Magistellus blatit. Quidam Ethnici habuerunt ligna pro Diis. non omnes; hoc asserit Bellarminus. In quibusdam placitis dederunt philosophi Hæreticis occasionem errandi, non in omnibus, & omnium minimè in vnitate Dei. Hoc dicit cũ Tertulliano Bellarminus: nihil aliud.

Sectione sexta imperitissimè blaterat inscitus Magistellus, *de vnitate arithmetica, numerica, Mathematica, Metaphysica, logica, generica, transcendentali*; & probat, vel potius probare nititur, *nullam ex his vnitatibus Deo conuenire.* Non numericam, non arithmeticam; non mathematicam; *quia vnitas Dei omni adoratione coli debet; sed vnitas numerica, arithmetica, mathematica, ne gry quidem adorationis meretur.* Quo ruis Magistelle? An Deus non est vnus numero? Ergo vnitas eius est vnitas numerica. Quid est vnitas numerica, nisi vnitas Arithmetica? Quid arithmetica vnitas, nisi Mathematica? Si ego aliquorum entium numerum colligam, Deumq; primo loco ponam; Ioannẽ, secundo; Petrũ, tertio; Paulũ, quarto, &c. an non vnitas diuina huius quaternarij numeri principium est?

Deinde vt vnitas finita non mereatur adorationem per se; at infinita meretur. Dei autem vnitas infinita est quemadmodum & essentia eius infinita est. Dixi *per se*, quia sunt quædam vnitates, seu res vnæ, quæ etiam merentur adorationem, sed analogicè per aliud & propter

K aliud,

aliud; vt est humanitas Christi, imagines Dei, & Saluatoris, Crux, &c. Si tamen Magistellus vnitatem Arithmeticam seu Mathematicam sumat solum pro illa, quæ in quantitate continua fundatur, estque principium illius speciei *in prædicamento quantitatis*, quæ Quantitas discreta appellatur; tum fateor, Deum hac vnitate non esse vnum: At num ideo non est vnus numero, aut vnitatem numericam propterea non habet? An vnitas hæc non latius diffunditur, quàm prior illa? Num Angelus non est vnus numero, licet non habeat vnitatem fundatam in quantitate continua?

At vide Magistelli stuporem. *In mathematica numerorum τάξει*, inquit, *vnitates sibi mutuo non insunt, sed à se inuicem discretæ manent; vt in tenario vnitas hæc vel illa à tertia exclusa est. At Deus verus sic vnus est mystica, rationi & mathesi ignota vnitate, vt pater sit in filio, filius in sinu patris, paterq; & filius intimè vnum sint.* Non examinabo ignorantiam, quæ sub primis Magistelli verbis delitescit: si dicam: Deus, Petrus & Paulus sunt tres vel tria, an non & hic tres istæ vnitates distinctæ inter se manent, eo modo, quo manent distinctæ in quouis alio ternario; vt in Hunnio, Gesnero, Rungio? Deinde, cum Deum vnum dicimus; non loquimur de tribus personis, harum enim respectu Deus trinus est, non vnus; sed vsurpamus nomen *Dei* essentialiter pro natura & essentia diuina; cuius vnitate nulla est maior vnitas, quandoquidem ita comparata est, vt vnitas eius ne intellectu quidem, tanquam multiplicabilis verè apprehendi queat. Si verò singulas personas intueri velimus, quælibet verè vna est. Verè pater vnus est. Verè vnus filius. Verè vnus Spiritus sanctus: & ex tribus hisce vnis seu vnitatibus verè ternarius numerus efficitur; licet non sit *prædicamentalis*, quia verus

rus numerus latius patet, quàm *prædicamentalis*, nisi quis contentionem de vocabulis inaniter excitare studeat. Et quamuis tres istæ personæ alia ratione, nempe in essentia, vnum sint, hæc tamen vnitas non impedit, quò minus alio respectu tres personæ tam verè dicantur tres personæ; quàm verè tres personæ nominantur Petrus, Paulus, Ioannes.

Vnitas Arithmetica, inquit Magistellus, *est finita; vnitas Dei est infinita.* Si per vnitatem arithmeticam intelligis illam, quæ est principium numeri, etiam in rebus à materia liberis; falsum dicis; quia hæc vnitas generatim sumpta abstrahit à finitate & infinitate, & ad vtranque est indifferens; sicut animal, ad *rationale* & *irrationale*; Corpus, ad *animatum* & *inanimatum*.

Vnitas Mathematica, inquit Magistellus, *excludit Trinitatem.* Si vnitatem *Mathematicam* nomines illam, quæ, quà talis, diuidi nequit, & principium numeri cuiuscunque constituere potest; tum generatim spectata secundum totam suam latitudinem, tria nec includit, nec excludit; sed communis est ad illas vnitates, quæ ita vnum sunt, vt non sint plura; & ad illam vnitatem, quæ ita vnũ est, vt simul etiam identicè sit tres personæ, Quanquam formaliter loquendo, vt natura diuina præcisè concipitur vna; nequaquam simul inuoluatur conceptus *Ternarij* seu *Trinitatis*, quãtum quidem est ex imperfecto modo nostro intelligendi in hac vita. Nam & Aristoteles verè vnitatem Dei intellexit, nec tamẽ in ea vnitate tria supposita, seu, tres vnitates inesse vidit.

Iure autem ex Magistello perconteris, quodnam sit discrimen inter *Arithmeticam* & *Mathematicam* vnitates; quandoquidem illas tam fidenter & animosè discriminat. *Vnitas Arithmetica,* inquit Magistellus, *est rationi pro-*

portionata, adæquata, comprehensibilis. Vnitas Iehouæ rationis ambitum excedit. Hoc ipsum poterat eadem ratione, Magistellus dicere de vnitate sua mathematica, imò & de aliis, quas recensuit: Audi Nouator. Si per vnitatem Arithmeticam intelligis eam, quæ est communis ad quamcunque vnitatem, & principium cuiuscunque numeri, etiam in spiritualibus; tum negamus quod asseris; quia hæc vnitas comprehendit non tantum ea, quæ naturaliter cognosci possunt, sed & ea, ad quorum cognitionem supernaturali lumine intellectus eget, quippe rationis naturalis terminos longè transcendentia.

Mentitur Magistellus, Bellarminum, quando dicit, Deum esse vnum; intelligere vnitatem *Arithmeticam* & *Mathematicam*; & quidem talem, qualis à Magistello depingitur; quæ fortè Bellarmino nunquam in mentem venit: certè eam nunquam nominat: Ipse enim per *vnitatem Dei naturaliter cognoscibilem*; intelligit vnitatem numericam; vt & ego; quem fingit Magistellus nomine *vnitatis*, intelligere vnitatem *quantitatiuam*, quando Deum affirmo esse vnum. Quo certè meam mentem non interpretatur, sed suam improbitatem & mentiendi pruriginem detegit.

Nunc oracula fundit Magistellus de vnitate transcẽdentali, Audite. *Vt dicam, quod sentio, affirmo, vnitatem transcendentalem Metaphysicam esse rationi notam.* (Omnino; At non cuicunque rationi; sed rationi disciplinis Philosophicis excultæ; quamuis ex suo genere cuicunque hæc vnitas cognoscibilis sit, cum sit passio entis, obiecti Metaphysicæ, quæ circa ens, vt ens, versatur, quatenus naturali ratione cognoscitur. Quapropter vnitas etiam Dei naturaliter cognoscibilis; ad vnitatem entis transcendentalem, quam Metaphysica considerat, pertinet.)

tinct.) II. *Ab eadem inuentam.* Vtique, si per inuentum intelligas id, quod ratio inuenit in rebus; non quod ipsa excogitat: nam vnum transcendentale reperit ratio in ente; non autem illud enti affinxit. Quod verò Magistellus dicit; Vnitatem transcendentalem fuisse *historia obseruatam & exploratam*, id quidnam aliud sit, quàm grandis quædam stultitia, equidem non video, quia passiones entis non ex historia, sed ex accurata ratiocinatione circa ens deprehenduntur & percipiuntur. III. Asserit Magistellus: *Notitiam vnitatis Transcendentalis profluere ex habitu acquisito Metaphysico.* Ergo non ex historiæ obseruatione, vt antea aiebas. IV. *Illã vnitatem esse finitã, creatam, plenè & planè comprehensibilem.* Malus es Metaphysicus, vt video, & somniculosus lector Suaretzij, quem toties citas. Obiectum Metaphysicæ est ens vt ens, naturali lumine cognoscibile, prout est commune quiddam ad ens finitum & infinitum; ad creatum & increatum: ergo & vnum, passio huius Entis, est commune quid ad vnum finitum & infinitum; itemque ad vnum creatum & increatum. Nimis tu terminis angustis Metaphysicæ latitudinem circumscribis, si Deum inde eiicere velis. An non in Metaphysica Aristotelica vidisti Deum? Quanquam tunc talpa Deum videres? Vnitas Dei, quam Aristoteles cognouit & demonstrauit, naturali lumine inueniri potest; quare ad Metaphysicam & transcendentalem vnitatem pertinet; sed vos Witebergæ, vt nouam fidem & noua Biblia; sic fortassis nouam quoq; Metaphysicam cudistis sine Deo, sine Intelligentiis, quia proponitur illis, qui sunt sine intelligentia; quibus ratio non renati & non iustificati, non est ratio, sed *bestia.*

capite Muricum. Multo minus asserui hoc vocabulum in Platone repertum, *Christiano demonstratiuum fundamentum esse.* Nullum ego hac de re verbulum; sed Magistellus id ingerit, vt calumniandi occasionem vel inuitam arripere queat. Et licet asseruissem, Platonem ex lectione sacrarum literarum, librorum Sibyllinorum, & consuetudine cum Hebræis in Ægypto aliquantulum cognouisse λόγον seu verbum Dei; an propterea piaculo quopiam me obstrinxissem? An non ipsemet fol. 52. produxisti hæc ex Platonico Timæo verba: ὁ θεὸς ἐπιστάμενος ἅμα τε καὶ δυνατὸς τὸν αὐτάρκη καὶ τελειότατον θεὸν ἐγέννα. An non Iustinus exhortatione prima ad Græcos fusè ex Platonicis monumentis demonstrat, Platonem plurima fidei nostræ mysteria in Ægypto didicisse; etiam illud quod est de Spiritu sancto; de futura Resurrectione corporum. De pœnis improborum in altera vita; de creatione mundi, & huius notæ aliis?

An non idem scribit de Orpheo & Homero, quos similiter in Ægypto vixisse, & multa de reb. nostris didicisse ait. An nō testatur Orpheū per αὐδὴν, (vocē seu verbū) intellexisse verbū diuinū, secundā Trinitatis personam.

οὐρανὸν ὁρκίζω σε θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον,
αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς, τὴν φθέγξατο πρῶτον,
ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς στηρίξατο βουλαῖς.

Cælum iuro Deo à magno & sapiente creatum.
Vocem iuro Patris, primùm quam prodidit ore
Consilio ipse suo mundum cum conderet omnem.

αὐδὴν, *id est, vocem,* inquit Iustinus, hic λόγον, *id est, Verbum Dei nominat, per quod cælum & terra, & vniuersa condita est creatura.*

Sectione secunda cum Caluinianis aliquantulum batuit, sed fatuè. Re bene gesta in Bellarminum irruit, sed

ſed maniaci inſtar. Nam Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 6. ita ſcribit. *Eſt autem notandum, in Deo, vt etiam Ariſtoteles docet, idem eſſe intelligentem, intellectum, intellectionem, & ſpeciem intelligibilem, exceptis tamen relationib. mutuis producentis & producti*, (quæ verba Impoſturæ gratia omiſit Magiſtellus.) *Ex quo ſequitur, Verbum Dei neceſſariò eſſe idem cum Deo, id eſt, eiusdem numeri, ſubſtantia & natura* (quæ verba itidem Magiſtellus ſilentio inuoluit, haud bona mente) qui valde bacchatur in Bellarminũ, quòd hæc Philoſophica, Deo Ariſtotelico & Metaphyſico cõpetentia, ad Deum verũ & Chriſtianũ trãsferat.

Num alius eſt Chriſtianorum Deus, & alius, quem cognouit & aſſeruit Ariſtoteles in Metaphyſica, & cum eo omnes, qui Metapyſicam interpretantur? Certè priſci Patres Iuſtinus, Euſeb. Tertull. alij, qui pro Chriſtianis aduerſus Ethnicos ſcripſere, non vociferati ſunt: *Quid ad nos Deus Platonis, quid Deus Ariſtotelis, quid Deus Philoſophicus, quid Deus Metaphyſicus; Quid Deus Orphei; quid Homeri*; ſed quæ ab iſtis, de vno veroq; Deo tradita ſunt, cupidè acceperunt, & inde Gentilium vanitatem de multitudine Deorum fortiter & intrepidè coarguerunt: gnari vnum & eundem Deum eſſe, quem ſcriptores illi partim ex naturali lumine, partim ex lectione ſacrorum librorum & Sibyllinorum, & ex conſuetudine cum Hebræis; intellexerant, & quem Chriſtiani colebant ac prædicabant.

Deinde num in Deo, quem Chriſtiani venerantur, exiſtimas *intelligentem; intellectum, intellectionem*, & *ſpeciem intelligibilem* non eſſe vnum & idem? Num ad cætera Lutherani Euangelij monſtra etiã hoc adiunges. *Deum eſſe compoſitum ex ſubſtantia & accedentibus?* Niſi fallor, hoc portentum iam parturitis, ſi nõdum peperiſtis. Etſi Alchymiſta Bauius, & Prædicans Hunnius id iam ſatis

apertè in lucem protulerunt, vt in primo Antimonio ad Bauium misso ostendi.

Mentitur Magistellus, Bellarminum ita argumentari. *Intellectio & species intelligibilis sunt in Deo Aristotelico Metaphysico idem. Verbum est ipsa Dei intellectio, ergo Verbum est idem, cum Deo Aristotelico & Metaphysico.* Nihil Bellarminus de stulta hac distinctione *Dei Aristotelici* seu *Metaphysici*, & *Dei Christiani*, quia probè scit, Deum, quem Aristoteles & Metaphysici demonstrant, alium non esse, quàm illum vnum & verum Deum, quem Christiani adorant: Et cum hoc vno & vero Deo, Verbum diuinũ, naturâ & essentiâ vnum idemq; esse, fatentur omnes illi, qui Deum vnum duntaxat in essentia, & trinum in personis profitentur.

Nec dixit Bellarminus; *Intellectio & species intelligibilis in Deo sunt idem.* Sed dixit: *sunt idem cum intelligente*: quod longè aliud est, quia fieri potest, non quidem in Deo, sed in aliis rebus; vt duo sint idem inter se; & tamen non sint idem cum subiecto. Exemplum si desideras, figuram & quantitatem accipe; quæ licet à se mutuò realiter non discriminentur, à subiecto tamen realiter differunt. Cum ergo in Deo intellectio cũ substantia, & essentia Dei idem sit, Verbum autem sit Patris intellectio; sequitur verbum idem esse cum Patre; natura videlicet & essentiâ, non relatione seu hypostasi; nam hac reipsa distinguuntur.

Quid amplius Magistelle? *Verbum est idem cum Deo Aristoteli noto*; Adde naturâ & essentiâ; *Christus est Verbum. Ergo idem est cum Deo*; naturâ scilicet & essentiâ; siue vocem *Dei* accipias essentialiter, siue notionaliter pro Patre. Nam verbum idem realiter est naturâ cum Patre: licet hypostasi ab illo distinguatur; idemq; verbum realiter idem est cũ essentia diuinâ; imò secundum essentiam

suam

suam nihil aliud est, quàm illa natura diuina tribus suppositis cōmunis. Hi *Syllogismi*, inquit Magistellus, *sunt fundamenta dogmatis Iesuitici de diuinitate filij Dei.* Duos hosce Syllogismos in Bellarmino non legisti; præsertim priorē, qui totus quantus quātus ex tuo cerebro prognatus est. At cedo; an non omniū orthodoxorum de diuinitate verbi seu filij Dei istud est: eum esse Deum de Deo, lumen de lumine; naturâ & essentiâ vnum cum Patre; relatione tamen & hypostasi ab eo distinctum? An non hoc fundamentum est diuinitatis filij Dei, ipsum esse realiter illud vnum ens absolutum & simplicissimū, quod natura seu essentia diuina, sine etiam in concreto *Deus* appellatur: quod ens tanquam ens entium, & super omnia entia eleuatum Aristoteles, & alij ex Philosophis agnouerunt? Num tu aliud fundamentum pro diuinitate filij Dei habes?

Quæ postea ex Luthero, Mylio, Zanckio, & id genus aliis de Aristotele & Aristotelico Deo declamitat, quisquiliæ sunt, indignæ, quæ aspiciantur, & longè indigniores, quibus vel vnum verbulum reponatur. Nec verum est, Aristotelem, *Deo rerū singulariū intellectionem negare.* Dixerit hoc Auerroes. At Interpretes isto Arabe multò meliores secus de Aristotele sentiunt: Et versatis in lectione Aristotelis contrarium dilucidè liquet.

Furit Magistellus in Fonsecam qui in lib. 5. Metaphysicæ cap. 8. Q. 7. dicit istas propositiones: *Filius Dei est homo: Verbum diuinum est homo, Deus est homo; esse contingentes;* cum ante incarnationem, & in triduo mortis Christi falsę fuerint, alias autem veræ. Hîc Magistellus. *ô scelus, ô labes, ô tempora, ô mores. Haccine est Iesuitica pietas? Haccine Metaphysica & Theologia reuelata identitas?* Ne sæui, mi Magistelle, scis quid sit *propositio contingens?* An non illa; quæ vera & falsa esse potest? Dic, an hæc enunciatio: *ver-*

de Ethnicis ego nihil egi; ſed de Chriſtianis tã verè, quã piĉtè ſic nominatis, tametſi quid Patres ex Gentilium locutionibus collegerint indicaui. Et vbi capite 1. Euangelij Iohannis, vt tu citas, ſcriptum eſt, *communes rationis* *ἐννοίας* & *notiones eſſe tenebras?*

Elogia, quæ rationi tribuis, forſan in Lutheranam *Rationem* quadrauerint: in naturalem certè, & ab hæretico fermento liberam non quadrant. Non abſimile mendacium eſt, hanc collectionem eſſe meam. *Vox, Salus, linguâ Punicâ ſignificat tria; ergo Deus eſt trinus & vnus*, additque aliud figmentum: me dicere, hanc *demonſtrationem eſſe ruſticariorum.* De vocabulo Punico & Latino *Salus*, nihil ex meo ſenſu attuli; ſed id quod ſanctus Auguſtinus ſcriptum reliquit, verbis ipſius S. Auguſtini recitaui. Si palato tuo non placent, quæ S. Auguſtinus pulcherimè diſputat, id forſã ideo fit, quod porco quiduis charius ſit, quàm amaracus. Mox iterum nobis contemplandam offert rationem *hominis non renati*, hoc eſt, vt ego interpretor, Lutherani. *Ratio hominis* non renati, inquit, *talis beſtia eſt, quæ omni conatu repugnat, reclamat, retundit, retorquet, remouet vincula, quibus erat conſtringenda: vt myſteriis ſe ſubiiceret, & eorum veritati calculum adiiceret*: Scilicet, quod improbitas & veſania facit, id rationi adſcribitur. Si ratio, eſt *beſtia*, homo igitur ante regenerationem non erit homo; quia homo non eſt, niſi per rationem.

Poſtea redit ad Deum Ariſtotelicum & Metaphyſicum, quem, vt pro ſuo agnoſcat, adduci nequit. At deſinat huic Deo moleſtus eſſe. Itinere Lutherano ad eum nunquam perueniet; Etſi quem alium vnum Deum ſperat; eum nunquam inueniet: quia non eſt niſi vnus verus Deus, quem, vt vnus eſt, agnouit Ariſtoteles.

Se-

eorum demonstrare. Falsum item Tertullianum ex communibus loquendi formulis gentilium vnitatem Dei ostendere. Et quod de Tertulliano dicitur, de aliis quoque Patribus intellectum cupit Magistellus: *Ergo Bellarminus Gretsero contrarium affirmanti aduersatur.* O plaustra nugarum. In medio est Tertullianus. In medio sunt & aliorum libri. Legantur: Et verborum præstigiæ euanescent. Nil Bellarminus in Contrarium. Somnia sunt, quæcunque Magistellus blatit. Quidam Ethnici habuerunt ligna pro Diis. non omnes; hoc asserit Bellarminus. In quibusdam placitis dederunt philosophi Hæreticis occasionem errandi, non in omnibus, & omnium minimè in vnitate Dei. Hoc dicit cũ Tertulliano Bellarminus: nihil aliud.

Sectione sexta imperitissimè blaterat inscitus Magistellus, *de vnitate arithmetica, numerica, Mathematica, Metaphysica, logica, generica, transcendentali*; & probat, vel potius probare nititur, *nullam ex his vnitatibus Deo conuenire.* Non numericam, non arithmeticam, non mathematicam; *quia vnitas Dei omni adoratione coli debet; sed vnitas numerica, arithmetica, mathematica, ne gry quidem adorationis meretur.* Quo ruis Magistelle? An Deus non est vnus numero? Ergo vnitas eius est vnitas numerica. Quid est vnitas numerica, nisi vnitas Arithmetica? Quid arithmetica vnitas, nisi Mathematica? Si ego aliquorum entium numerum colligam, Deumq; primo loco ponam; Ioannẽ, secundo; Petrũ, tertio; Paulũ, quarto, &c. an non vnitas diuina huius quaternarij numeri principium est?

Deinde vt vnitas finita non mereatur adorationem per se; at infinita meretur. Dei autem vnitas infinita est quemadmodum & essentia eius infinita est. Dixi *per se*, quia sunt quædam vnitates, seu res vnæ, quæ etiam merentur adorationem, sed analogicè per aliud & propter

aliud; vt eſt humanitas Chriſti, imagines Dei, & Saluatoris, Crux, &c. Si tamen Magiſtellus vnitatem Arithmeticam ſeu Mathematicam ſumat ſolum pro illa, quæ in quantitate continua fundatur, eſtque principium illius ſpeciei *in prædicamento quantitatis*, quæ Quantitas diſcreta appellatur; tum fateor, Deum hac vnitate non eſſe vnum: At num ideo non eſt vnus numero, aut vnitatem numericam propterea non habet? An vnitas hæc non latius diffunditur, quàm prior illa? Num Angelus non eſt vnus numero, licet non habeat vnitatem fundatam in quantitate continua?

At vide Magiſtelli ſtuporem. *In mathematica numerorum* τάξει, inquit, *vnitates ſibi mutuo non inſunt, ſed à ſe inuicem diſcretæ manent; vt in tenario vnitas hæc vel illa à tertia excluſa eſt. At Deus verus ſic vnus eſt myſtica, rationi & matheſi ignota vnitate, vt pater ſit in filio, filius in ſinu patris, paterq; & filius intimè vnum ſint.* Non examinabo ignorantiam, quæ ſub primis Magiſtelli verbis deliteſcit: ſi dicam: Deus, Petrus & Paulus ſunt tres vel tria, an non & hic tres iſtæ vnitates diſtinctæ inter ſe manent, eo modo, quo manent diſtinctæ in quouis alio ternario; vt in Hunnio, Geſnero, Rungio? Deinde, cum Deum vnum dicimus; non loquimur de tribus perſonis, harum enim reſpectu Deus trinus eſt, non vnus; ſed vſurpamus nomen *Dei* eſſentialiter pro natura & eſſentia diuina; cuius vnitate nulla eſt maior vnitas, quandoquidem ita comparata eſt, vt vnitas eius ne intellectu quidem, tanquam multiplicabilis verè apprehendi queat. Si verò ſingulas perſonas intueri velimus, quælibet verè vna eſt. Verè pater vnus eſt. Verè vnus filius. Verè vnus Spiritus ſanctus: & ex tribus hiſce vnis ſeu vnitatibus verè ternarius numerus efficitur; licet non ſit *prædicamentalis*, quia verus

rus numerus latius patet, quàm *prædicamentalis*, nisi quis contentionem de vocabulis inaniter excitare studeat. Et quamuis tres istæ personæ alia ratione, nempe in essentia, vnum sint, hæc tamen vnitas non impedit, quò minus alio respectu tres personæ tam verè dicantur tres personæ; quàm verè tres personæ nominantur Petrus, Paulus, Ioannes.

Vnitas Arithmetica, inquit Magistellus, *est finita*; *vnitas Dei est infinita*. Si per vnitatem arithmeticam intelligis illam, quæ est principium numeri, etiam in rebus à materia liberis; falsum dicis; quia hæc vnitas generatim sumpta abstrahit à finitate & infinitate, & ad vtranque est indifferens; sicut animal, ad *rationale* & *irrationale*. Corpus, ad *animatum* & *inanimatum*.

Vnitas Mathematica, inquit Magistellus, *excludit Trinitatem*. Si vnitatem *Mathematicam* nomines illam, quæ, quà talis, diuidi nequit, & principium numeri cuiuscunque constituere potest; tum generatim spectata secundum totam suam latitudinem, tria nec includit, nec excludit; sed communis est ad illas vnitates, quæ ita vnum sunt, vt non sint plura; & ad illam vnitatem, quæ ita vnũ est, vt simul etiam identicè sit tres personæ, Quanquam formaliter loquendo, vt natura diuina præcisè concipitur vna; nequaquam simul inuoluatur conceptus *Ternarij* seu *Trinitatis*, quãtum quidem est ex imperfecto modo nostro intelligendi in hac vita. Nam & Aristoteles verè vnitatem Dei intellexit, nec tamẽ in ea vnitate tria supposita, seu, tres vnitates inesse vidit.

Iure autem ex Magistello perconteris, quodnam sit discrimen inter *Arithmeticam* & *Mathematicam* vnitates; quandoquidem illas tam fidenter & animosè discriminat, *Vnitas Arithmetica*, inquit Magistellus, *est rationi pro-*

portionata, adæquata, comprehensibilis. Vnitas Iehouæ rationis ambitum excedit. Hoc ipsum poterat eadem ratione, Magistellus dicere de vnitate sua mathematica, imò & de aliis, quas recensuit: Audi Nouator. Si per vnitatem Arithmeticam intelligis eam, quæ est communis ad quamcunque vnitatem, & principium cuiuscunque numeri, etiam in spiritualibus; tum negamus quod asseris; quia hæc vnitas comprehendit non tantum ea, quæ naturaliter cognosci possunt, sed & ea, ad quorum cognitionem supernaturali lumine intellectus eget, quippe rationis naturalis terminos longè transcendentia.

Mentitur Magistellus, Bellarminum, quando dicit, Deum esse vnum; intelligere vnitatem *Arithmeticam* & *Mathematicam*; & quidem talem, qualis à Magistello depingitur; quæ fortè Bellarmino nunquam in mentem venit: certè eam nunquam nominat: Ipse enim per *vnitatem Dei naturaliter cognoscibilem*; intelligit vnitatem numericam; vt & ego; quem fingit Magistellus nomine *vnitatis*, intelligere vnitatem *quantitatiuam*, quando Deum affirmo esse vnum. Quo certè meam mentem non interpretatur, sed suam improbitatem & mentiendi pruriginem detegit.

Nunc oracula fundit Magistellus de vnitate transcēdentali, Audite. *Vt dicam, quod sentio, affirmo, vnitatem transcendentalem Metaphysicam esse rationi notam.* (Omnino; At non cuicunque rationi; sed rationi disciplinis Philosophicis excultæ; quamuis ex suo genere cuicunque hæc vnitas cognoscibilis sit, cum sit passio entis, obiecti Metaphysicæ, quæ circa ens, vt ens, versatur, quatenus naturali ratione cognoscitur. Quapropter vnitas etiam Dei naturaliter cognoscibilis; ad vnitatem entis transcendentalem, quam Metaphysica considerat, pertinet.)

tinet.) II. *Ab eadem inuentam.* Vtique, si per inuentum intelligas id, quod ratio inuenit in rebus; non quod ipsa excogitat: nam vnum transcendentale reperit ratio in ente; non autem illud enti affinxit. Quod verò Magistellus dicit; Vnitatem transcendentalem fuisse *historia obseruatam & exploratam*, id quidnam aliud sit, quàm grandis quædam stultitia, equidem non video, quia passiones entis non ex historia, sed ex accurata ratiocinatione circa ens deprehenduntur & percipiuntur. III. Asserit Magistellus: *Notitiam vnitatis Transcendentalis profluere ex habitu acquisito Metaphysico.* Ergo non ex historiæ obseruatione, vt antea aiebas. IV. *Illā vnitatem esse finitā, creatam, plenè & planè comprehensibilem.* Malus es Metaphysicus, vt video, & somniculosus lector Suaretzij, quem toties citas. Obiectum Metaphysicæ est ens vt ens, naturali lumine cognoscibile, prout est commune quiddam ad ens finitum & infinitum; ad creatum & increatum: ergo & vnum, passio huius Entis, est commune quid ad vnum finitum & infinitum; itemque ad vnum creatum & increatum. Nimis tu terminis angustis Metaphysicæ latitudinem circumscribis, si Deum inde eiicere velis. An non in Metaphysica Aristotelica vidisti Deum? Quanquam tunc talpa Deum videres? Vnitas Dei, quam Aristoteles cognouit & demonstrauit, naturali lumine inueniri potest; quare ad Metaphysicam & transcendentalem vnitatem pertinet; sed vos Witebergæ, vt nouam fidem & noua Biblia; sic fortassis nouam quoq; Metaphysicam cudistis sine Deo, sine Intelligentiis, quia proponitur illis, qui sunt sine intelligentia; quibus ratio non renati & non iustificati, non est ratio, sed *bestia.*

Affirmo vlterius, inquit Magistellus, *Iehouæ nostri veri vnitatem indiuisè Trinitatem secum inferentem, non esse naturaliter notam rationi ; non esse ex principiis rationis inuentam, non profluere ex habitu acquisito, sed infuso, sancto fidei habitu.* Aut igitur Aristoteles vnum Deum non agnouit, aut fidei habitum habuit. Prius falsum esse testatur liber duodecimus Metaphysicæ. Posterius item falsum esse, haud grauatè Magistellus annuet. Neque ita vnitas Dei naturaliter cognoscibilis Trinitatem includit, vt illa sine hac naturali cognitione inuestigari ac intelligi nequeat : cum cognitio hæc ex rebus creatis hauriatur, quæ nobis vnitatem Dei; nō autem Trinitatem, perspicuè ac veluti in pellucido speculo exhibent.

Vnitatem *genericam* & *specificam* à Deo remouēdam esse, scimus; nec hoc Magistello ad id discendum, instructore egemus. Neque latuit hoc Aristotelem; vt norunt genuini Metaphysici.

Capite quinto *Muricum* dixi, Tertullianum ex communibus sentiendi notitiis & locutionum modis probare, inter cætera, *mortuorum Resurrectionem.* Hic Magistellus tumido ore mentitur. I. *Me hoc fecisse.* Non feci, sed quid Tertullianus egerit, indicaui. II. Mentitur, Iesuitas docere; *Resurrectionem mortuorum naturaliter cognosci posse*, citatque Fonsecam lib. 7. Institut. Dialect. cap. 20. vbi ita scribit: *Anima rationalis immortalis est, & habet naturalem ad corpus, in quo creata est, propensionem. Ergo si absurdum est, naturalem appetitum in omnem æternitatem impediri ac frustrari, sanè aliquando corpus animæ separatæ iungetur ac copulabitur.* Hic mirificè paratragœdiat Magistellus, & nil nisi *Pelagianismos* crepat; additque, pro grauitate Lutherana, hinc sequi, etiam *porcos resurrecturos, quandoquidem eorum anima habet naturalem inclinationē ad cor-*

pus,

pus, quod informauit, & ex quo educta fuit. Vbi non iniuria suspiceris, Magistellum hunc habere persuasum, *porci animam*, mortuo Porco, extra subiectum, separatim existere, vt existit anima rationalis: nam nisi ita sentiret, haud diceret, animam *porci* habere appetitum ad corpus, quod animauit. Nam si appetitum habet; existit ergo; nam id quod non existit, nullo appetitu afficitur. Qualis verò iste Philisophus, cui anima porci, (& idem de aliorum brutorum animabus, sentiat oportet) separatim extra materiam manet? Hactenus arbitrabamur hanc solius animæ rationalis prærogatiuam esse. Multum certè debent bruta huic Magistello, à quo eorum animæ tanto priuilegio sunt exornatæ.

Quod ad rationem ex Fonseca allatam attinet; non est ea quidem demõstratio, sed probabilis quædam persuasio, non cogens, sed verisimiliter ad assensum Resurrectionis mysterio præbendum inducens; Quanquam, vt rectè docet Suaretz tom. 2. in 3. p. S. Thomæ, disp. 44. sect. 8. eæ rationes naturales adferri possunt, & reipsa etiam adferuntur cum ab aliis, tum à Suaretz loc. cit. sect. 6. quæ sufficiant ad conuincendum intellectum bene dispositum, vt credat, Resurrectionem mortuorum esse possibilem; non virtute alicuius agentis finiti, sed illius infiniti, quod est Deus. Neque hoc est *Pelagianizare*, vt imperitus Magistellus calumniatur, Qua de re videatur Suaretz.

Oggrunnit brutorum aduocatus. *Etiam materiam primam habere appetitum ad formam, quam antea habuit; hũc ergo similiter expleri; atque adeo animam porci mortui in corpus, quod informauerat, reduci debere.* Respondeo, esse disparem rationem: quia licet materia, non recuperet formam prius habitam, & postea amissam, penitusque desitam;

tam; habet tamen aliam, quæ eius appetitui satisfacit, cum nunquam sine substantiali forma in rerum natura existat. Hinc materia in imperfecto statu non remanet; quemadmodum manet anima rationalis, donec corpori iterum iungatur; & quia quælibet res perfectionem & vltimum suum complementum desiderat; hocque desiderium à Deo, rerum conditore, temerè non fuerit insitum, rectè colligimus, animam rationalem denuo cum corpore vnitum iri. Ex parte vero brutorum, nihil eiusmodi apparet; quia materia iam recepit aliam formam: & prior forma bruti penitus interiit: Nullam ergo propensionem ad materiam habere potest.

Obiicit Magistellus ex S. Thoma: *Idem non posse credi & sciri. Si igitur Resurrectio Mortuorum, vt articulus fidei credatur; per consequens sub scientiam cadere non posse.* Respondeo, idem sub eadem ratione sciri & credi non posse; posse, sub diuersis: Exempli gratia, *Deus est; Deus vnus est: bonus est, æternus est*; Sciri potest per demonstrationem; credi, per diuinam reuelationem. Sic idem euidens esse potest & ineuidens; sed diuersis viis. Euidens per scientiam: Ineuidens per fidem. Quãquam aliud est, resurrectionem esse possibilem; & aliud, esse futuram: sicut aliud est; possibile esse, vt Magistellus iste sapiat: aliud; futurum vt sapiat: Resurrectionem futuram esse, sola fide creditur: possibilem esse, ita creditur, vt simul etiam argumentis non inefficacibus comprobetur.

Tres syllogismos profert nobis Magistellus, planè Magistrales. Primus: *Quicunque negat Deum vnum & trinum, Christi resurrectionem, Christi Euangelium, Apostolorum præconium, ille negat resurrectionem mortuorum, & contrà. Ratio non renata, Ethnicus omnis non renatus, solum eius ductum sequens, semper negat Deum vnum & trinum, &c.*

ergo

ergo negabit vbiq; resurrectionem mortuorum. Demus Maiorem Magistello; Minorem negamus: quia non renati, hoc est, fidei lumine non illustrati, ex rebus creatis existẽtiam, vnitatem & alia nonnulla attributa Dei intellexerunt, teste Apostolo ad Rom. 1. Iidem non renati, nominatim Plato, cognouerunt non quidem ex creaturis, sed vel ex peculiari diuino instinctu; vel ex Sibyllis, vel ex lectione diuinorũ voluminum, vel ex consuetudine cum Hebræis, varia fidei mysteria, vt futurum iudicium; futuræ vitæ præmia; bona pro bonis; mala pro malis: Verbum diuinum, Spiritum sanctum, creationem mundi, & alia huius generis, quemadmodum fusè ostendit Iustinus in Oratione prima ad Græcos; itemq; Clemens, Eusebius & alij veteres.

Secundus asyllogistus syllogismus. *Quidquid implicare cõtradictionem videtur rationi, illud eidem videtur simpliciter falsum, absurdum, impossibile. Resurrectio Mortuorum implicare rationi omnium Ethnicorum videtur contradictionem, ergo, &c.* Respondeo, Minorem esse falsam; quia Platoni resurrectio mortuorum adeo non est visa contradictionem implicare; vt eam expresse scriptis suis tradiderit, teste S. Iustino in oratione prima ad Græcos, vt alios in præsenti sileam.

Probat Magistellus Minorem ex Bellarmino, qui lib. 3. de Eucharist. cap. 3. scribit: *Mysterium Resurrectionis mortuorum semper Philosophis impossibile visum esse.* Non omnibus, ô bone, sed aliquibus rationum momenta non ponderantibus. nam & Paulo Apostolo Athenis Act. 17. de resurrectione mortuorum disputante; *quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt; audiemus te de hoc iterum.* Ergo his posterioribus non videbatur Apostoli dissertatio *implicare contradictionem. Quidam verò viri ad-*

hærentes ei, crediderunt. Et tamen priusquam crederent renati non erant. Platonem quoq; resurrectionem perspectam habuisse, testatur Eusebius lib. 11. Præparat. Euangel. cap. 18. Iustinus in Oratione prima ad Græcos, S. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 17. & alij veterũ. Eusebius quoque eodem libro copiosè ostendit, generationem filij Dei ex Patre non fuisse Platoni ignotam: qui & multa alia de Platone refert; vt & libro duodecimo eiusdem Operis, ex quorum lectione & intellectione clarè deprehendes, qualis sic huius Magistelli stupor, & quàm spissa inscitia cum sua non *renata ratione*.

Sed en tertium syllogismum. *Qui negat corruptum idem numero redire posse, negat veram resurrectionem, eamq; dicit impossibilem. Ratio non renata negat idem numero redire posse; ergo negat Resurrectionem.* Demus Magistello Maiorem ex liberalitate; quãquam absolutè non est vera; quia non defuere Theologi vera fide præditi, qui inficiarentur, rem in nihilum redactam reproduci posse, & tamen possibilitatem Resurrectionis futuræ non modò sanctè credebant, sed & efficacibus argumentis adstruebant. At esto Maior. Nego Minorem; quam vel vnus Plato apud Iustinum & Eusebium refellit, vt de aliis sileam. *Plato dixit*, verba S. Augustini refero, lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 27. *sine corporibus animas in æternum esse non posse. Ideo dixit: etiam sapientum animas post quamlibet longum tempus, tamen ad corpora redituras.*

Cætera, quæ de Resurrectione aliisque nonnullis rebus Magistellus noster eiectat; nil aliud sunt, quàm vel inscitiæ eximiæ luculentissima argumenta, vel maledicentissimæ & mendacissimæ mentis impura excrementa. Quæ non tango; quia iis, quæ tetigi, gemella sunt. A vertice vsque ad imam pedis plantam nil sanum, nilque

sincerum est in hoc miserabili & famelico Magistello; quem dimittere tempus monet, vt abeat pransum vel cœnatum ad suum Polycarpum Lauserum, cuius vt beneuolentiam, vel potius offam & cereuisiam promereretur, hoc tam dilucidum ignorantiæ, pseudologiæ & maledicentiæ suæ speculum euulgauit.

Apophoreti tamen loco, cupio, vt secum absportet nonnulla pro Muricibus Prędicāticis Analecta, & inprimis hanc S. Epiphanij in *Ancoratō* de Resurrectione sententiam ex communi Ethnicorū sensu & facto petitam, omissam à me in Demonstratione & Muricibus. *A consuetudine,* inquit, *coguntur Ethnici Resurrectionem mortuorum confiteri.* ἔνθα γὰρ ἐπίδη τὰ σώματα τῶν τελευτησάντων, παραγίνονται καὶ προσφωνοῦσι τοῖς τεθαμμένοις νεκροῖς ἐξ ὀνόματος ἀνάστα φάσκοντες, ὁ δεῖνα, φάγε, καὶ πίε καὶ εὐφράνθητι. *Ad locum enim, qui corpora mortuorum continet, accedunt; vocatisq; ex nomine sepultis acclamāt; surge, comede, bibe, lætare.* καὶ εἰ μὲν τὰς ψυχὰς ἐκεῖσε νομίζουσιν ἐμπαραμένειν, ἔνθα τὰ λείψανα τῶν τελευτησάντων τέθαπται, ἀπαθὴς ἡ τοιαύτη τῶν ψυχῶν προσδοκία. *Quod si existimant animas manere eo loci vbi cadauera defunctorum tumulata sunt; absque vlla doloris perpeßione erit huiusmodi animarum exspectatio. Exspectant enim futuram illam diem & resurrectionem regenerationis, donec iterum cum suis corporibus coniungantur ac coniugentur, &c. Si autem istud hoc consilio non agunt; explicent nobis qua ratione animas corporibus longe excellentiores huic damnationi subiiciant, &c.* vt scilicet in tumulis morari cogantur.

Vbi vides inter cætera argumenta, quæ adstruendæ Resurrectioni S. Epiphanius profert; vnum itidem ex Communi Ethnicorum facto & naturali instinctu petitum esse; & hunc Ethnicorū morem argutè itidem Tertullianus pro Resurrectione corporum adducit in ipso

L 2 statim

ftatim veſtibulo libri de Reſurrectione Carnis, & in Opuſculo de Teſtimonio Animæ. Priore loco ita ſcribit: *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum: Illam credentes ſumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit. Sed vulgus irridet, exiſtimans nihil ſupereſſe poſt mortem. Et tamen defunctis parentant, & quidem impenſiſſimo officio pro moribus eorum, pro temporibus eſculentorum, vt quos negant ſentire quidquam, etiam deſiderare præſumant. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſimè exurit, quos poſtmodum guloſiſſimè nutrit, iiſdem ignibus & promerens & offendens, &c. Planè cum vulgo interdum & ſapientes ſententiam iungunt. Nihil ſupereſſe poſt mortem, Epicuri ſchola eſt, &c. Satis eſt autem, ſi non minor Philoſophia Pythagoræ & Empedoclis, &c. Sed Platonici immortalitatem animæ è contrario reclamant, &c. Ita ſæculum reſurrectionem mortuorum, nec cum errat, ignorat.*

In libello de Teſtimonio animæ, quibus verbis anima cogitationes ſuas de mortuis expromat; ita docet Tertullianus: *Cæterum aliâs ſecuros vocas defunctos. Profiteris & vitæ incommodum, & mortis beneficium. Vocas porrò ſecuros, ſi quando extra portam cum obſoniis & mattais tibi potius parentans ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis. At ego ſobriam tuam ſententiam exigo; miſellos vocas mortuos. Nam in conuiuio eorum quaſi præſentibus & conrecumbentibus ſortem ſuam exprobrare non poſſis, debes adulari propter quod latius viuis. Miſellum ergo vocas, qui nihil ſentit? &c.*

Quàm Caluino inuiſa & exoſa ſit mortuis bene precandi inolita, & omnium fidelium mentibus inſita conſuetudo, oſtendi in Muricibus cap. 22. Eadem Caluini male ſana mens elucet ex eius epiſt. 53. ad Mompelgartenſes, vbi vetat, *ne funus in Templum inferatur*; *rectà ad cœmeterium deferri iubet*; (Habent autem iſti cœmeteria

ſua

ſua extra templa templorumque ſepta; plerunque etiam extra mœnia.) Cur iſtuc Caluinus? Ne ex antiquo more, cauſſa ſuffragiorum ad Templum deferri cenſeretur: & ne cui, etiam incogitanti, erumperet illa vſitatiſſima vox; *Deus defuncto ſit propitius. Det ei Deus requiem.* Ea de cauſſa ſublatum quoque voluit *Campanorum pulſum*, catholicis vſurpatum, quando quis hinc exceſſit.

De Campanæ pulſu, inquit Caluinus, *nolim vos pertinacius reclamare*, (quia Princeps Mompelgartenſis, pulſum hunc, vt & alia nonnulla veteris religionis inſtituta, ſeruari cupiebat) *ſi obtineri nequeat, vt princeps remittat; non quia probem, ſed quia rem contentione dignam non arbitror.* Sic epiſtola 374. ægrè concedit ſuis Sectatoribus, vt vel humanitatis cauſſa, *proſequantur funera mortuorum Catholicorum*; metuit enim, ne qua vox precationis pro defuncto eis excidat, & ne ipſa ſua præſentia Purgatorium ſtabilire videantur. *Participare precibus, quæ fiunt pro mortuis, hoc nō aliud eſſe poteſt, quàm tantundem derogare vnico Chriſti Domini noſtri ſacrificio, &c.* Si tamen Caluinus non mentitur; qui fruſtra brachia aduerſus hunc torrentem tendit; neq; vnquam clamoribus ſuis hoc vltimum humanitatis officium, eiuſque præſtandi communem ſenſum, ex mortalium animis expūget. Miror eundem ſuis non interdixiſſe, ne comitarentur Catholicum, ſi quando talis ob malefacta duci iubetur; & ad furcam vel gladium abripitur.

At vide & obſtupeſce quò Caluini odium in defunctos procedat. Conſultus enim de veſtimentis, luctus indicibus, ita reſpondet, epiſt. 375. vt nouum Loxiam facilè agnoſcere queas. *De veſtibus luctus, quas vocant, non video magnam hærēdi occaſionem: Res enim per ſe non ita mala eſt, vt tolerari non poſſit, quemadmodum & alij quidam de-*

fectus seu infirmitates humanæ politiæ. Ergo consuetudo hæc, quæ originē suam ex intimis animi humani visceribus, vt ita loquar, trahit, *defectus quidam est, & humana infirmitas.* Cur vero? Quia aliquid innuit, q̃ Caluini stomacho non arridet, nempe, curam viuentium, q̃ gerunt & agunt pro mortuis. Hæc Caluinū vrit: hanc quia exterminatā cupit, etiam vestes lugubres eliminatas cupit. At non audet apertè. Tentat ergo id clam per cuniculos.

Addamus & hoc. Galli, teste Caluino, epist. 128. festum Annunciationis beatæ Virginis 25. Martij celebrari consuetum vocāt *Festum Dominæ nostræ.* Non potuit hoc ferre Caluinus. *Acriter*, inquit, *in eam superstitionem quotānis inuectus sum, quòd diem Conceptionis Christi sub Mariæ nomine plebs coleret.* En Caluinus ferre nō potuit, vt beatissima Virgo appellaretur *Nostra Domina*: Et tamen æquissimo animo ferebat, vt poëtæ prisci vocarent amasias suas *Dominas*; eodemque titulo Beza cohonestaret suam Candidam: nec puto Gallos Caluinistas tam fuisse in suum Apostolum inciuiles, vt eundem *Dominæ* titulum amoribus Caluini, vxori, inquā, eius, nō tribuerint.

Cap. 12. Muricū copiosè disserui de impietate Caluinistarum, qui ægris & moribundis Eucharistiam negāt. Qui mos ipsi Caluino displicuit. Testem do epist. 361. & 363. in quarum priore ita scribit Caluinus: *Cur cœnā ægrotis negandā esse non arbitrer, multæ & graues causæ me impellunt. Video interea quàm procliuis in multos abusus sit lapsus, quibus prudenter seduloq; occurrēdum esset. Nisi enim sit communicatio, perperā deflectitur à sacra institutione Christi. Conueniat ergò aliquis cœtus oportet ex cognatis, familiaribus, & vicinis, vt fiat distributio ex mādato Christi; deinde, coniuncta sit actio cū mysterij explicatione; nec quidq̃ à communi Ecclesiæ ratione diuersum. Promiscuè etiam huc & illuc deferre, valdè peri-*

periculosum est. Atq; hic difficillimũ est cauere, ne alios superstitio, alios ambitio, & vana ostentatio ad petendum solicitet. Itaq; iudicio opus esset, ac delectu, ne quibus daretur, nisi in magno vitæ discrimine. Sed hæc, quæ Caluinus exigit, necessariò non requiri; ostensum est in Muricibus.

Adiungit Caluinus: *Panem tanq̃ sacrũ è templo afferri, præposterũ est: gestari verò in põpa nullo modo tolerabile.* Non habeo ꝙ hic culpẽ. Cum.n. cœna Caluiniana cœnatoribus suis nihil aliud apponat, præter panẽ & vinũ, caussæ nihil est, cur panis & vinũ honorificè ex fano Caluinistico ad ædes ægroti deferantur, cũ ex cella penaria & vinaria ægrotãtis depromi, vel à proximo pistore & caupone peti possint. Interim & hic video, q̃ difficile fuerit Caluiniano Diabolo, insitas de Eucharistia reuerẽter ad ægros deportanda notiones & persuasiones eximere.

Epistola posteriore ita scribit Caluinus: *Ex natura, fine & vsu mysterij* (Cœne) *probè mihi colligere videor, nõ esse tanto bono priuandos, qui vel diuturno morbo laborant, vel de vita periclitãtur. Ad fidei confirmationẽ valet tesseram accipere, quasi ex Christi manu, qua certiores fiamus, nos in eius corpore censeri, carne eius & sanguine pasci in spem æternæ vitæ. Itaque Cœnæ perceptio nos ad obeundas spirituales pugnas instruit. Iã si pius quispiam è mundo migrandũ sibi videat: quia, fieri non potest, quin oppugnetur, ac vexetur multis tentationibus, meritò se armari cupiet ad sustinendos conflictus. An eripiendũ est singulare adiumẽtum, quo fretus ad luctam alacrius descẽdat, & victoriam obtineat? Id prohiberi, quò minus liceat profiteri & testatum facere pietatis consensum cũ Ecclesia, durum est, ac mali exempli, siue quis in lecto diu iaceat, siue morti sit vicinus. Atqui Cœna sancta inter filios Dei vnitatis est symbolum. Quãuis breuiter rẽ attigerim, agnoscis tamẽ quibus rationibus adductus, ægrotos non arbitrer à communicatione arcendos. Neq; tamẽ ea de causa velim turbas mouere. Scis in hac*

Eccle-

Ecclesia alium esse morem: Acquiesco, quia vtile non esset contendere. Qui hanc administrationem nō putant Christi mandato esse consentaneam, obiiciunt, sacrum hoc epulum fuisse institutum, vt communiter illic vescerentur fideles, quod illis verum esse cōcedo. Sed quamuis nulla sit legitima Cœna, nisi communis: qua tamen ægrotis dabitur; quia priuata non erit, adulterina non censebitur. Nam certè partem, vel appendicem esse constat publicæ actionis. Hæc Caluinus.

A quo, non tantum posteriores, sed & ipsi Geneuēses Caluinistæ, Caluino adhuc superstite, dissenserunt, quod æquo animo se ferre fingit, quia cogebatur, auctoritate senatus Geneuensis; alioqui nemini cedere solitus, nihil intentatum reliquisset, donec omnia ad suam sententiam accommodata & instituta vidisset.

In epist. 53. ad Mompelgartēses hūc in modum scribit Caluinus: *De cœna administratione ita sentio, libēter admittendum esse hunc morem, vt apud ægrotos celebretur communio, &c. nec magnopere etiam repugnandū esse, quin maleficiis detur, qui plectendi sunt, siquidem postulent, &c. Hac tamē lege, vt sit vera communio, hoc est, vt panis in cœtu aliquo fidelium frangatur;* hoc est, vt ipse Prædicans, cœnæ coctor & administrator, præfectus item carceris & familia eius, vel alij cum malefico, hoc est, cum fure vel latrone, cœnēt; nam solum cœnare non patitur Caluinus: cui nimis miserū conniuium videtur, in quo vnus dūtaxat accumbit.

Quapropter nimis quoque absurdum iudicat, vt in ordinaria etiam concione, & publico conuentu, cœna in vnius gratiam instituatur: & certè est, cur Christus Deo agat gratias, quòd in Emaus peregrini habitu proficiscens, duos discipulos simul inuenerit; nam si vnum duntaxat inuenisset, haud potuisset ingressus in diuersorium panem frangere, hoc est, phrasi Caluiniana, cœnam instituere, seu, vt nos loquimur, sacrā Eucharistiam admi-

administrare. At forsan Caluinus tam morosus est, vt ne duobus quidem cœnam, etiam publico in cœtu, exhibere velit. Quot ergo conuiuas postulat? Edat numerum conuiuarum minimum, qui sufficiat; & infra quem nullus sufficiat.

At hanc cœnæ rationem ineundam Caluinus ducẽ habuit Lutherum, qui in colloquiis sympoſiacis Lat. Tit. de cœna, Tom. 2. ita scribit: *Ego quotidie mecum considero & cogito, qua ratione priuatam illam infirmorum communionem abrogare possim.* (Quod, Luthere, cogitasti, id nonnulli Caluinistarum iam fecerunt, vt vidimus in Muricibus cap. 12.) *vt publicè in templo essent frequentiores, vel cogerentur talem seruare modum; quem ego infirmus seruaui, vbi cum aliis pluribus fiat communio*; nimirum iuxta illud: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*; qui ibidem adiungit. *In porrigendo Sacramento infirmis bonum est ministrum semper simul cõmunicare.* De calice minor erit difficultas, de pane non nemo Prædicantium exsistet, qui renuat: quia vinum semper facilius in os & stomachum influit, quàm panis.

Adiiciamus denique Muricibus Prædicanticis hoc etiam Epimetrum siue auctarium. Omnibus hominibus à natura insitum est, vt inspectione locorum, vbi olim aliquid memorabile factum mirificè commoueãtur & afficiãtur, eorumq; intuitu aliquando vix exsatiari possint. De quo communi omnium sensu exstat elegantissima disputatio Marci Tullij Ciceronis in exordio libri quinti de finibus, vbi Piso, vnus ex interlocutorum numero, *Naturane nobis hoc, inquit, datum dicam, an errore quodam, vt cum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moueamur, quàm si quando eorum ipsorum aut facta audiamus, aut*

scriptum aliquod legamus? Velut ego nunc moueor. Venit enim mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hîc disputare solitum: cuius etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi afferunt: sed ipsum videntur in conspectu meo hîc ponere. Hîc Speusippus, hîc Xenocrates, hîc eius auditor Polemo, cuius ipsa illa sessio fuit, quam videmus. Equidem etiam curiam nostram, Hostiliam dico, non hanc nouam, quæ mihi minor esse videtur, posteaquam est maior, solebam intuens, Scipionem, Catonem, Lælium, nostrum verò inprimis auum, cogitare. Tanta vis admonitionis inest in locis: vt non sine caussa ex his memoria ducta sit disciplina.

Si Academia Atheniensis Platonem & Platonicos præcipuos Pisoni tam perspicuè repræsentauit; mirum certè foret, si in hominis Christiani pectore ardentes pietatis motus nō excitaret visus locus, vbi Christus Redemptor noster natus est & educatus, passus, mortuus, sepultus, à morte excitatus, & in cœlum assumptus; vbi docuit, miracula patrauit, vltimā cœnā cū discipulis cœnauit, discipulorū pedes lauit; vbi post resurrectionē cōspicuum se præbuit, &c. Lapis sit non homo, qui his cominus visis lustratisq; nullo pietatis aut reuerentię sensu tangatur. Et quod de monumentis Christi Redemptoris nostri dico, idem intellectum volo de locis, in quibus versati Prophetæ, Deipara Virgo, Apostoli, Martyres, & alij vitæ sanctimonia præstantes seu viri seu fœminæ.

Post Pisonis verba subiungit Quintus, *Est plane Piso, vt dicis, inquit: nam meipsum huc modò venientem conuertebat ad sese Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos versabatur, quem scis quàm admirer, quamq; eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc venientis, & illo mollissimo carmine, quænam essent ipsa hæc loca, requirentis, species quadam commouit, inanis scilicet, sed commouit tamen.*

Tum

Tum Pōponius; At ego, quē vos, vt deditū Epicuro, insectari soletis, sum multum equidem cum Phædro, quem vnicè diligo, vt scitis, in Epicuri hortis, quos modò præteribamus: sed veteris prouerbij admonitu virorum memini: nec tamen Epicuri licet obliuisci, si cupiam: cuius imaginem non modò in tabulis nostri familiares, sed etiā in poculis, & in annulis habent, &c.

Ego autem tibi, Piso, inquit M. Tullius, *assentior; vsu hoc euenire, vt acrius aliquantò & attentius de claris viris, locorum admonitu, cogitemus: scis enim me quodam tempore Metapontum venisse tecū, neo ad hospitem antè diuertisse, quā Pythagoræ ipsum illum locum, vbi vitam ediderat, sedemq́; viderim. Hoc autē tempore, etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorū virorū: tamen ego moueor illa exedra. Modò enim fuit Carneades, quem videre videor. Est enim nota imago: à sedeq́; ipsa tanta ingenij magnitudine orbata desiderari illam vocem puto. Tum Piso; Quoniam igitur aliquid omnes, quid Lucius noster, inquit? an eum locū libēter inuisis, vbi Demosthenes & Aeschines inter se decertare soliti sunt? suo enim quisq; studio maximè ducitur. Et ille, cū erubuisset, Noli, inquit, ex me quærere, qui in Phalericū etiā descenderim: quo in loco ad fluctū aiunt declamare solitum Demosthenē, vt fremitū adsuesceret voce vincere, modò etiā paululum ad dextrā de via declinaui, vt ad Periclis sepulcrum accederem. quanquā id quidē infinitum est in hac Vrbe, quacunq; enim ingredimur, in aliquā historiam vestigium ponimus. Tum Piso; Atqui Cicero, inquit, ista studia, si ad imitandos summos viros spectāt ingeniosorū sunt, sin tantūmodò ad indicia veteris memoriæ cognoscenda, curiosorū. Te autē hortamur omnes, currētem quidē, vt spero, vt eos, quos nouisse vis, etiā imitari velis.*

Hæc ex beatissima illa eloquentia vena manarunt, inquit vir eruditus & disertus Goropius Becanus, libro primo Atuaticorum, *quibus quid potest vel elegantius esse, vel lectu iucundius, vel ad profligandas factiosorum hominum*

calumnias aduersus peregrinationes religionis pietatisq; causa suscipi consuetas efficacius? Si tanta vis recordationis è locis exoritur, vt magis nos moueat, quàm si vel facta audiamus, vel scripta legamus; quantum, obsecro, momenti habebit ad animi feruorem in nobis excitandum, quo & DEVM adoremus, & sanctos viros, quorum loca visitamus, imitemur, in quo Piso finem ponit inspectionis locorum? Alij Platonis ex Academia: alij Sophoclis ex Coloneo; alij Epicuri ex ipsius hortis; alij Demosthenis ex Phalerico in mentem venit: quidni multò magis, nobis ex præsenti locorum inspectione, Christi Servatoris nostri in mentem veniat; cùm vel natale eius solum; vel locum, in quo crucifixus est pro omnium salute; vel sepulcrum eius; vel templum, in quo disputauit; vel alia monumenta coram intuemur. Saxeus sit, necesse est, qui non commoueatur horum admonitu: plumbeus, qui hac animi incitatione, non sursum feratur, &c.

Quod si Cicero nostræ religionis sacris fuisset imbutus, bone DEVS, quibus modis fuisset commotus, si Hierosolyma & totam Iudæam adiuisset, cui tam suauem orationem Athenarum inspectio extorsit. Celebrauit ille Marianam quercum: quanto magis lignum Crucis, & eius locum celebraturus, si ea nouisset, quæ nos fide diuinitus nobis concessa tenemus. Humanam naturam hominibus adimunt, qui negant admonitu locorum nos non vehementer commoueri, &c.

Ad hanc igitur suauissimam contemplationem, ad hoc cæleste pabulum animorum si præsentia locorum nos commouet stimulo quodam admirabili, & omnibus à natura, si Ciceroni & communi sensui credimus, indito: quis rogo tam erit fanaticus, vt peregrinationem Hierosolymitanam neget facere ad pietatem, neget habere quidquam vtilitatis? sed sunt, inquies, quibus nullo opus est adiumento, ad animi sensum ad cælestes has cogitationes euehendum: sed domi sua satis habent ad id virium

rium. Sint sanè; sed hi ipsi, si eos in Iudæa sistas, non est dubium, quin magis sint commouendi, dum in conspectu habebunt ea ipsa loca, in quibus DEVS filium suum propter peccata nostra tantum tormentorum voluit subire, nisi fortasse homines mihi fingas lapideos, & omnis humani sensus expertes. Si qui ergo tam absurdam opinionem tuebuntur, his vt contraria statuant, contra eos non magis disputandum, quàm si quis dicat, nullam niuem albam esse. Hæc scitè simul & piè Becanus. Qua de re copiosè etiam egimus lib. 1. *de sacris peregrinationibus*, cap. 12. & in Notis contra Molinæum cap. 3.

De Carmine Prædicantico, quod speculo Zephyrianæ impudentiæ præfigitur.



CARMEN hoc dignissimum tali libro indico: Non potuisset aptiore operculo hæc patella operiri. Est enim prorsus ineptum, insulsum plenunque ruris & inficetiarum: qualia scilicet in Prædicantico Parnasso nasci solent. Nam ne sis nescius prolis tam formosæ parens est Pastor quidam Corydon Brunsuuicensis: doctus non tantum equitare, sed & modulari in arundine longa. En tibi Syluestris & amusæ Musæ particulam.

Ergo Sathanico, tu Bellarmine furore,
Captus discipulos decipis inde tuos.
Quando doces gentes Euangelij sine verbo
Ex propriis Christi viribus esse gregem.
Ergo Sathanico Gretsere & percitus Oestro,
Inque Dei flatum lingua maligna tua est.
Quando doces, Dominus fidei qui trinus & vnus,
Natura ingenio cognitus absq; fide est.


——— Sapientia carnis
Optima, vt esse potest, est inimica Deo.
Naturalis homo non spiritualia captat.
In IESV ex verbo gratia nosce dedit.

Desine, Menalca, desine, Enecabis nos non canendo sed rudendo.

Saluus Aristoteles, saluus Cato, Scipio saluus,
Socraticum saluum est, Herculeumque genus.
Cinglius & Cingli similis gentilis Erasmus
Blasphemè in chartis sic docuere suis.
Quos praeceptores sequitur Gretserus, ad Orcum
Daemonis & flammae iura sequatur eos.

Cedo, Pastor, vbi hoc docuit Gretserus? Profer locum ex Gretseri libris. Miserabile est istos, eò prouectos iam cernere; vt ob nullam impudentiam, licet extremam, aliquo pudore tingantur, vel saltem modicè tangantur. Nihil restat, quàm vt iste vel alius eiusdem formae & notae praeco, rumorem spargat, Gretserum cum Zuuinglio Christum ab Eucharistia excludere. Quàm enim hoc posterius, tam & illud prius ex libris & sensu meo euinci potest.

Speculum fidei Lutheranae speculo Zephyriano repositum.



VTHERVS in caput 27. Geneseos Tom. 6. Lat. Witeberg. *Fides est opinio, quae fertur in id quod nihil, quod impossibile & absurdum est.* Habes hic genus *fidei* Lutheranae quod est opinio, quae est habitus incertus, vtpote cum formidine oppositi coniunctus. Credit ergo fides Lutherana,

Trini-

Trinitatem, ſed ita, vt timeat, ne fortè verum non ſit, Deum eſſe trinum & vnum: Credit Incarnationem Chriſti; at non ſine metu, ne forſan res ſecus ſe habeat; Chriſtique Incarnatio fabuloſa ſit. Credit vitam æternam, at non abſque tacito animi remorſu, ne forſan fallatur, quia *opinio* non ita firmat intellectum, vt nec fluctuet, nec ad alteram contradictionis partem reſpiciat. Eadem eſt ratio aliorum Lutheranæ fidei dogmatum; incerto enim aſſenſu tenentur; nam quidquid ex ſola opinione eſt, illud incertum eſt; At omnes articuli Lutheranæ fidei ſunt ex ſola opinione, quia ipſa Lutherana fides eſſentialiter eſt *opinio*, ergo omnes articuli fidei incerti ſunt.

Habes II. Ex ſupradictis Lutheri verbis *Obiectum* fidei Lutheranæ: quod eſt, NIHIL; IMPOSSIBILE, ABSVRDVM. Lutherana ergo fides credit *Nihil*; quia credit id, quod eſt ſuum obiectum. At obiectum eſt NIHIL. Credit ergo NIHIL. Et per conuerſionem: Nihil ergo credit. Qualis iſta fides? Inde ſequitur, Lutheranos aut non credere Deum trinum & vnum, Chriſtum Incarnatum, paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum, à mortuis excitatum, vitam æternam, & alia huius generis; aut Deum trinum & vnum, & alia omnia Lutheranis eſſe NIHIL: quia fides Lutherana fertur in id, quod *Nihil* eſt; ergo non in id, quod aliquid eſt: quia nihil non eſt *aliquid*; nec aliquid nihil. Si ergo fides Lutherana tendit in Deum trinum & vnum; ſequitur Deum trinum & vnum eſſe nihil; cum Lutherana fides non tendat niſi in nihil. Et per conſequens, non credat, niſi NIHIL.

Alte-

Altera conditio *Obiecti* Lutheranæ fidei est; IMPOSSIBILE. Ex quo sequitur idem, quod antea: nempe aut Lutheranos SS. Trinitatis mysterium non credere; aut illos hoc mysterium pro *Impossibili* habere; quandoquidem fides Lutherana, non nisi in Impossibile tendit; idemque intellige de reliquis omnibus Lutheranę fidei articulis, quos Lutherana fides non attingit, nisi vt *impossibiles* Ex quo rursus constit; neminem Lutheranorum, Deum trinum & vnum, Christum Incarnatum, passum, crucifixum, &c. vitamque æternam amare; quia nemo sani capitis amat *impossibile*. Nec eniti & elaborare possunt Lutherani, vt vitam æternam obtineant, quia nullus, nisi fatuus, conatur id quod impossibile est, assequi.

Tertia conditio Obiecti Lutheranæ fidei est Absurdum. Etsi autem libenter fateor, Lutheranam fidem plurima non tantùm *absurda*, sed & *absurdissima* credere (quid enim absurdius monstroso illo vbiquitatis portento?) quia tamen videri vult, quasi alia etiam credat, vt *Deum Trinum & vnum, Christum incarnatum, vitam æternam* & similia; oportet, vt Lutherani, Deum trinū & vnum, &c. pro *absurdo* habeant; quia Deus trinus & vnus; Christus incarnatus, &c. est fidei Lutheranæ obiectum, at obiectum huius fidei est absurdum. Habent ergo Lutherani hęc & alia omnia suæ fidei mysteria pro *absurdis*. Iam ergo dextras iungunt cum Turcis & Iudæis; quibus itidem hæc talia nil aliud apparent, quàm NIHIL, IMPOSSIBILE, ABSVRDVM.

Ne quis autem suspicetur, hæc tam ab omni ratione abhorrētia excidisse Luthero per incircūspectionē, cum fortè plusculum vnà cum suis compotoribus sese inuitasset; en tibi eadem eodem loco repetit ac recinit, non

non ſine additamentis. Audi effata pluſquam Apollinea.

I. *FIDES* (Lutherana) *fertur in rem, quæ adhuc purum nihil eſt.* Aut ergo fides Lutherana non fertur in Deum Trinum & vnum; aut Deus Trinus & vnus Lutheranis adhuc *purum nihil eſt.* Secundò, aut fides Lutherana non fertur in Chriſtum Incarnatum, Redemptorem ac liberatorem, & vt ita loquar, *iuſtificatorem* noſtrum; aut Chriſtus Incarnatus & Redemptor noſter Lutheranis *adhuc purum nihil eſt.*

II. FIDES *eſt ſcientia & ſapientia* (paulò antea erat fides *Opinio*, nunc transformatur in ſcientiam & ſapientiam) *tenebrarum & nihilitudinis*; Sunt igitur Lutheranæ fidei obiecta *tenebræ* & *nihilitudo*, hoc eſt, vt antea loquebatur Lutherus, *purum nihil.* Trinitas ergo & Incarnatio, & vita æterna, & huius claſſis alia, Lutheranis *nihilitudo* ſunt, hoc eſt, *purum nihil.*


Aliæ ſcientiæ omnes, inquit Lutherus, *docentur ex Syllogiſmis; non habent fundamenta aut Principia ſua in eo, quod nihil eſt; ac præſertim non apparens, impoßibile, abſurdum, ſtultum; ſed fides apprahendens promißionem figit cor in id, quod omnino eſt abſurdum & impoßibile.*


En quàm conſtanter ac aſſeueranter conditiones Obiecti, in quod Lutherana fides tendit, Lutherus aſſeuerat. En Lutherana fides ſua principia habet in eo, quod *nihil eſt, quod impoßibile, quod abſurdum, quod ſtultum.* Qualis Iſlebici Euangelij & Euangeliſtæ fides?

Dicat quis: Lutherum nihil aliud voluiſſe, quàm obiectum fidei apparere Rationi *Nihil, impoßibile, abſurdum.* Reſpondeo inprimis, verba Lutheri eſſe clara; nec egere interprete; Et hic obſeruandam regulam ab ipſo Luthero præſcriptam in Iudicio contra Eraſmũ; *verba*

hostium contra illos interpretanda esse. Deinde nego, obiectum fidei Rationi apparere *Nihil, impossibile*, aut vt maioris Emphaseos gratia loquitur Lutherus, *verè impossibile* & *absurdum*; nam si obiectum fidei in hunc modum Rationi repræsentaretur, illud respueret; nec immerito; nam quis sectetur aut sectandum amplectendumue censeat illud, quod est *Nihil, nihilitudo*, & *verè impossibile?* Quæro insuper, an quia res fidei sunt non *apparentes*, hoc est, *non euidentes*; ideo appellari debeant *Nihil, Nihilitudo, verè impossibiles, absurda*. Veritatis pronũciatum est: *Ex abundantia cordis os loquitur:* Nisi quæ Lutherus suis tradebat pro talibus habuisset, ea *Nihil, Nihilitudinem, verè impossibilia & absurda* nunquam nuncupasset. Quis enim non execretur dicentem? Deum Trinum & vnum; vel Christum Incarnatum esse *NIHIL, ESSE NIHILITVDINEM*, Esse quid *verè impossibile, esse absurdũ* At Lutherus apertissimè hoc asserit, vt iam audiuimus. Vbi erat illud Psal. 92. quando Lutherus hæc tam *nauci* & *nihili*, tam sibi & suis probrosa in chartas exspuebat: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Quæ sunt hæc Dei testimonia, nisi dogmata diuinitus mortalibus reuelata? Si sunt *credibilia nimis*; quomodo sunt *Nihil*, quomodo *Nihilitudo*, quomodo *purum nihil*, *quomodo verè impossibilia?* Certè *Nihil* & *verè impossibile*, adeo non est *credibile nimis*, vt ne quidem sit credibile.

FINIS.





Errata.

P*Ag. 6. verſ. antepenult Origenis. 12. 23. tinniunt. 24. 1. debachationes 26. 9. reſponſurum. 27. 26.* ὀλίγῳ *29. 23. manuum. 30. 23. intenſiuè 31. 5. & naſci ex vtraque. 32. 14. diuinitus. 37. 7. ad eum. 40. 14. vt & hunc 44. vlt. ſomnium. 66. 25. Cælum iuro 67. antepen. accidentibus 71. 16. pulcherrimè. 89. Ad hanc cœnæ 93. 17. plenumq́; 96. 1.* IMPOSSIBILE. *82. 10. qualis ſit. 83. 17.* νομίζειν. *87. 17. Cœnæ. 90. 5. Speuſippus. 94. 4. noſſe. ibid. 26. abſurdum. 95. 6. fallatur.*

